Bible. O.T. Zephaniah Latin.

VATICINIA

ZEPHANIAE

COMMENTARIO ILLUSTRAVIT

FRIDERICUS ADOLPHUS STRAUSS.

BEROLINI,

SUMTUS FECIT JONAS.

MDCCCXLIII.

PRAEFATIO.

„Si cuncta quis desiderat secreta vatum oracula brevi dari compendio, brevem hunc Zephaniam perlegat."

Quae *Buceri* verba quam sint vera atque subtilem oleant interpretem, enarranti mihi Zephaniae oracula quo accuratius indolem eorum perspexi eo clarius apparuit; is enim maxime inter omnes prophetas fata non modo certo cuidam temporis spatio designata, sed omnibus omnino temporibus a deo constituta una quasi comprehensione complectitur. Quare quum eum, qui ecclesiae rebus animum advertat, fugere nequeat, nostrae aetati id esse praecipuum, quod voces prophetarum atque apostolorum nimis neglectae pronis iam coeptae sint auribus ac-

cipi, Zephaniae vaticinia in primis videntur digna quae animis nostris infixa haereant.

Ac divino quidem munere vates functos esse credo expertus; unde et excitatus sum ad scribendum et scribentis animus haud raro demissus erectus est, si defecit, confirmatus.

Deus autem velim efficiat, ut veteris testamenti studium in dies augeatur ac promoveatur, atque novi testamenti interpretatio fructus inde percipiat uberrimos.

Scribebam Berolini Id Novembr. MDCCCXLII.

PROLEGOMENA.

Interpretaturo mihi Zephaniae oracula, antequam explicanda ea ipsa aggrediar, agendum est primum de Zephania vate, deinde de vaticiniis eius. Disputemus enim, quo Zephania sit genere ortus, qua aetate vixerit, qui tunc fuerit rei publicae status. Quo facto accedere licebit ad vaticinia eius, quorum argumentum paucis est significandum, hostes praedicti indagandi, indoles universa adumbranda. Postremo interpretes, quorum explicationibus usus sum, sunt enumerandi atque in iudicium vocandi.

CAPUT I.

DE ZEPHANIA VATE.

§. 1.

Zephaniae [1]) nomen ipsum veteres putarunt munus eius indicare, quum significet vel speculam Jehovae Ezech. III,

---

[1]) Cf. praeter commentarios infra recensendos *Carpzovii* introductionem ad libros canon. V. T. p. 401. *Buddei* histor. eccles. V. T. II, p. 486. *Roosii* Fufsstapfen des Glaubens Abrahams p. 992. *Niemeyeri* Characteristik V, p. 323. *Eichhornii* introduct. III, p. 338. *Jahnii* introd. II, p. 536. *Bertholdtii* introd. IV, p. 1682. *Jaegerum* de ordine prophetarum minorum chronologico, Tübinger Zeitschrift. 1828, II. *de Wettii* introd. p. 339. *Grumbergii* Religions-

17 vel eum, cui deus res absconditas revelaverit; at nomen quod vati non est proprium sed multis viris inditum legitur eum exhibet, quem deus custodit, cf. Ps. XXVII, 5. Annotandum est, LXX, Graecos atque omnes, qui rationem eorum legendi sequuntur, Sophoniam legere, quum pro Schwa vocalem brevem more linguae Arabicae exprimant et Patach sono magis obscuro pronuntient, ita *Γοδόλιας*, *Ὀχόζιας* cf. *Gesenii* Geschichte der Hebr. Schrift. §. 50, 2.

Vatis genus quatuor indicatur generationibus, quod quum a vulgari Hebraeorum consuetudine, quippe qua patrem tantum nominent, recedat atque in prophetis solum legatur exemplum, iure concludimus genus nobile fuisse. *Coellnius* autem, quum prophetae plurimi patrem in titulo adiiciant, unus Sacharia avum addat, quorum de persona ne levissimum quidem supersit vestigium, quum porro Danielis iuvenis summo loco nati ne pater quidem nominetur, nomina illa non generis nobilitatem ostendere existimat, sed addita esse, quo facilius noster ab aliis viris aequalibus idem nomen gerentibus discernatur. Et hoc quidem in iis, qui patrem tantum afferunt et in Sacharia, cuius pater adeo ignotus fuit, ut etiam Esr. V, 1 genus eius patre neglecto ad avum reduceretur, constat locum habere; at quatuor generationes hanc ob causam allatas esse vix est simile veri. Danielis vero exemplum, quum libri illius inscriptio atque ratio universa sit alia, nihil probat.

Generis autem nobilitatem inde conieceris derivandam esse, quod, quoniam de aliis maioribus nihil est notum, Hiskias abavus fuerit pius ille Judaeorum rex ([illegible]*k*.,

---

ideen des A. T. p. 338. *Knobelii* Prophetismus der Hebraeer II, p. 246. *Koesteri* Propheten des alten u. neuen Testaments p. 111. 293. *Meieri* Kritik der Bearbeitungen der kleinen Propheten etc. in Zellers theol. Jahrbücher 1842. III. p. 495.

J. D. Mich., P. Ew., Hitz.). Cui tamen sententiae *Carpz., Jahn., Herw., Gramb., de Wettius* opponunt 1) chronologiam, ab Hiskia enim usque ad Josiam numerari tres tantum generationes, nobis quatuor afferri. At quoniam Manasse quinquaginta quinque annos regnavit, octoginta vel nonaginta annorum spatio facile quatuor generationes possunt secutae esse. 2) Filium Hiskiae Amariam in libris historicis non commemorari; sed regum filios omnes, fortasse etiam ex secundi ordinis uxore natos, nominandos esse non apparet. 3) Hiskiae nomini addendam fuisse dignitatem regis Judae; quae tamen formula, in Josia necessario afferenda, in Hiskia facile omittenda erat, praecipue quum in inscriptione vaticiniorum non stirps vatis regia sed auctoritas divina esset urgenda atque nomen Hiskiae ipsum indagando generis origini sufficeret. 4) Repugnare verba *Pseudo-Epiphanii* de vitis prophetarum Op. II, 448, qui Zephaniam ex tribu Simeonitica ad montem Sarabatham ortum esse dicat, id quod confirmet etiam *Pseudo-Dorotheus*. Sed ut omittamus montem Sarabatham nobis prorsus non esse notum, deinde tribus Simeoniticae in tribu Judae dissipatae memoriam hac aetate adeo evanuisse, ut tribus Judaicae proles etiam in loco olim Simeonitico posset versata esse, duorum illorum testium auctoritatem constat nullius fere momenti esse. Quae quum ita sint, argumenta illa non videntur rata esse atque quamvis in re dubia pro certo nihil statui possit (*Eichh., Knob., Maur.*), tamen propter nobilitatem illam supra demonstratam verisimile est, Hiskiam fuisse regem Judae et Zephaniam vatem e stirpe regia ortum.

De Zephaniae vita nihil traditum est. *Pseudo-Epiphanius* quidem ἐν ἀποκαλύψει κυρίου eum mortuum esse refert; sed hoc non minus videtur fictum esse, quam ἀνάληψις eius, unde apud *Fabricium* Cod. Pseudepigr. CXVIII,

p. 402 et *Clementem Alexandrinum* Stromm. V, p. 585 oracula eius derivantur apocrypha. Hoc tantum constare videtur, eum in regno Judae atque Hierosolymis versatum esse, id quod probat et allocutio III, 1 et supplicium I, 4 annunciatum; distincte enim describit urbis situm et hostium impetum propinquius accedentem quasi digito monstrat.

§. 2.

Accuratiora sunt quae de aetate eius licet indagare, edita enim sunt oracula tempore Josiae, regis Judae, 642 — 611. Josiae autem imperium sacrorum emendatione anno regni ipsius decimo octavo 624 instituta in duas dividitur partes, quarum quaeritur utrum priori an posteriori vaticinia tribuenda sint; illud existimant *Budd.*, *Tarn.*, *Jahn.*, *Knob.*, *Hitz.*, *de Wett.*, *Ew.*, hoc probant *Carpz.*, *Eichh.*, *Berth.*, *Herw.*, *Thein.* Posteriori Josiae tempori vaticinia adscribunt, 1) quoniam שאר הבעל reliquiae Baalis nominari non possint nisi emendatione facta. Faciamus autem verbis illis indicari reliquias Baalis superstites, argumento tamen repugnat, quod duplex traditur sacrorum emendatio cf. *Mowersii* Chronik pag. 334 — 336. Sunt enim tres quodammodo regni Josiae periodi, prima usque ad annum regni duodecimum, 642 — 630, qua ipse quidem cultui Jehovae addictus fuit, populus idola coluit; secunda, qua reformatione incepta Jehovae atque idolorum cultus coniunctus fuit, 630 — 624; tertia, qua ex anno decimo octavo publice saltem Jehova solus est cultus, 624 — 611. Quibus periodis cum vatis nostri verbis comparatis, reliquiae Baalis, quamvis post emendationem secundam eas non prorsus defuisse Jeremiae vaticinia doceant, tamen aptius alteri periodo tribuuntur, ubi vel publicus idolorum cultus viguit. Verum enim vero *Ewaldus* vim argumenti huius usu recepti prorsus evertit. Reliquiae enim Baalis interpretandae

sunt secundum id quod sequitur sacrificulorum nomen; ut vel nomen eorum excidendum est, ita vel reliquiae Baalis. Vix enim credendum est atque recedit a vulgari vatum consuetudine, ipsum minarum initium accusationem quodammodo mitigare, quum reliquiae tantum superesse dicantur. Deinde post magnificum vaticinii exordium quid mollius magisque languidum quam fines idololatriae angusti, quid aptius quam exstinctio talis, ut ne vestigia quidem sint reliqua! Tum quae sequitur idololatrarum increpatio non reliquias tantum sed apertum indicat idolorum cultum. Ex his igitur verbis nihil aliud concludi potest quam viguisse Baalis cultum. 2) Filii regis בני המלך ante hunc terminum impios atque idolorum cultui deditos castigari non posse I, 8; quod quidem argumentum *Bertholdtio* tanti videtur momenti esse, ut hac de re non amplius quaerendum esse putet. Cui argumento quum *Coellnius* opponat, Zephaniam Huldae vaticinium II Reg. XXII, 20. II Chron. XXXIV, 28 respexisse atque apertius indicasse, fugisse eum videtur, Huldae verba anno decimo octavo ipso prolata esse. Melius dicit filios regis, Joahasum et Eliacimum, qui tunc regi fuerunt secundum II Reg. XXIII, 31. 36, ita posse nominatos esse, ut vates quae essent in fatis, pueris etiam infantibus praediceret; et cur infantes non indicaverint impietatis indicia, quae vates animo praesenserit postea apertius eruptura? Verum non est quod impediat, quominus filios regis cum *Hieronymo* intelligamus de omnibus ex stirpe regia principibus fastuosis atque superbis, id quod tam saepe in libris historicis legitur, ut mirum sit, viros doctos hac de re certasse. 3) Ante legem anno decimo octavo repertam perversam eius interpretationem sacerdotibus III, 4 obiici non posse. At legem inventam esse haud ita est explicandum, ut omnis omnino cognitio legis habeatur amissa; sacerdotes

enim ipsi, munus eorum atque auctoritas, legem quae ipsos instituerat testabantur; nihilo tamen secius regem populumque legis praecepta atque minae poterant latere, quum sacerdotes dissimulata legis severitate tam sibimetipsis quam populo opinarentur melius consulere. 4) Si Zephania ante alteram cultus emendationem innotuisset, Josiam II Reg. XXII, 13 non Huldam sed ipsum consulturum fuisse. Hoc vero argumentum, si quid probat, nimium probat, quum etiam Jeremias atque secundum sententiam veri simillimam Habacuc anno Josiae decimo tertio munere prophetico fungerentur. Quae quidem causa fuerit, cur rex neminem prophetarum, sed Huldam consuluerit, pro certo constituendum non est; videtur autem Hulda propter alia effata dignitate excelluisse, quum vel pontifex maximus ipsam adire properaret, cf. *Witsium* de prophetissis Miscell. sacr. I, pag. 288. 289 et *Hessium*, Geschichte der Könige II, 220. 5) Propinquum diem Jehovae dici non potuisse nisi extremo Josiae tempore, quum mors eius quasi porta esset, qua iudicia dei irrupissent. At primum quidem propinquitatis notio satis est anceps, et id quod aliquot annis post futurum est, propinquum dici potest; deinde Huldae verba demonstrant solummodo propter pietatem Josiae, qui populum quoque ad deum reducere summopere studuit, supplicia esse dilata, populum idola colentem iam maturum fuisse poenae.

Argumentorum igitur quae Zephaniae vaticinia *post* annum Josiae XVIII edita esse confirment, vis est nulla. Alii autem interpretes vaticinia *ante* ipsum hunc annum prolata esse putant apparere ex II, 13—15, ubi vates Assyriorum regno interitum, Ninivae urbi eversionem annuntiet, quam evenisse dicunt anno a Chr. 625, Josiae decimo octavo, ita ut vaticinium illud, nisi sit vaticinium post eventum, ante Josiae annum XVIII revelatum esse

necesse sit. Qui tamen urbis eversae terminus quam sit incertus, infra fusius demonstrabimus. — Sequitur igitur, ut quo regni Josiae tempore Zephania vaticinatus sit, certis argumentis comprobari nequeat. Possit vero liber noster vaticiniorum omnium a Zephania Josia rege editorum quae potiora atque praecipua sunt videri complecti, quem aliis quoque vatibus, ex quibus solum nomino Micham, morem fuisse conceditur. Cui opinioni illud favet, quod Josiae emendationes ad populum convertendum haud ita multum profecisse et Jeremiae vaticinia probant et supplicia divina mox appropinquantia. At vero *Ewaldus* recte significat indolem vaticiniorum universam magis convenire tempori reformationem secundam eamque severiorem antecedenti; quocirca Zephaniam inter Josiae annos duodecimum et decimum octavum vaticinatum esse existimamus. *(Jahn. Coelln. Knob. Hitz. Meier.)*

Huic autem sententiae adversarius exstitit *Theinerus*, *Eichhornii* opiniones (Hebräische Propheten p. 305. 353. 540) non modo sequens verum etiam amplificans. Ipse enim artis criticae recentioris, quae argumentis internis nisa nihil intactum atque integrum reliquit, specimen edidit egregium. Profectus ab argumento illo supra reiecto, filios regis non nisi posteriori Josiae tempori convenire, vaticinia II, 4—15 ab aliis segregat. Deinde quae II, 8 Ammonitis atque Moabitis obiiciuntur, Obadiae descriptionem secutus putat post Hierosolyma eversa contra Judaeos in exilium missos perpetrata esse, quare v. 4—12 post Hierosolymorum eversionem sint dicti. Tum propter peccata populi, quae post secundam Josiae reformationem cogitari nequeant, III, 1—20 opinatur secundum II Chron. XXXIV, 32. 33 Zedekiae aetati tribuendos esse, quod idem statuit de I, 2—II, 3 propter allusionem ad Jojakimum, qui tributo satis magno penso II Reg. XXIII, 31—35. II Chron. XXXVI, 1—4 Pharaonem Nechonem

quominus urbem funditus everteret, impedivit. Et hac quidem ratione *Theinerus* inscriptionem contendit falsam esse, II, 13—15 Zephaniae inconsulte adscriptos, tribuit vati cuidam priori, I, 2—II, 3 et III, 1—20 proxime ante urbis eversionem, II, 4—12 proxime post ipsam putat editos esse, Zephaniam igitur vixisse Zedekia rege atque proxime post Hierosolyma diruta. Quae sententia, filiis illis regis tanquam specie argumenti usa, adeo est artificiosa, ut mira sit facultas res simplicissimas confundendi atque perturbandi.

§. 3.

Jam vero quum constet Zephaniae aetas, paucis depingamus oportet reipublicae illo tempore statum. Hic autem erat tristissimus. Deo enim, qui populum sibi ex Aegypti custodia eripuerat gratiaeque suae consilia satis perspicue manifestaverat in eo rege, cuius gloriam atque maiestatem omnibus terrae regibus invidendam reddiderat, gratia non est habita, sed populus quo prosperiore utebatur fortunae flatu eo magis suis confidebat viribus. Relicto autem dei cultu faciebant sibi deos ipsi atque primum vitulos adorabant, id quod Jehovae cultui nomine quidem non erat contrarium sed rem nomine non teneri monstrabat. Sequebatur enim apertus idolorum cultus, quae vicinis sancta vivo exercituum deo praetulerunt. Erant autem idola praecipue Phoenicum atque Ammonitarum. Baal, de quo conferas *Buddei* histor. eccles. I, 759. *Münteri* Religion der Carthager pag. 5—35. *Gesenium* Hall. Encycl. VIII, 397. XXI, 97. *Creuzeri* Symbolik II, 266 sequ. *Winerum* Reallex. I, 137, est idolum Syrophoenicum et Carthaginiensium, quo solem videntur coluisse. Inter Judaeos colendi eius fuit auctor Ahas, altaribus in templo positis secundum Damascenorum exemplar II Reg. XVI, 11—18; Manasse vel simulacra Baalis templo in-

tulit. Alterum idolum est Molech vel Milcom, praecipue ab Ammonitis cultum, de quo conferas *Buddeum* l. c. p. 608, *Münterum* p. 8, *Creuzerum* l. c., *Gesenium* l. c. XXI, 96, *Winerum* II, p. 119. Molech videtur, quod vel nominis significatione simili indicatur, idem idolum fuisse ac Baal, atque alio tantum ab aliis gentibus nomine appellatum esse. Ceterum paronomasia satis facili atque ponderosa vates utuntur nomine eius notione appellativa cum suffixo pluralis, מַלְכָּם, ut idoli potestatem cui cultores se subiecerunt indicent; quem usum omnibus locis vindicandum esse putamus, ubi Malcam legitur, etiam Jer. XLIX, 1. 3. Et horum quidem idolorum cultum, quem Hiskias quantum per populi pravitatem licuit abrogaverat, Manasse non modo restituit verum etiam auxit atque populum ut ipsius exemplum imitaretur induxit. Cuius impietatis ut poenas daret promeritas, a deo derelictus, ab Assyriorum copiis captus, Babylonem, quae eo tempore Assyriorum regibus parebat, abductus est. Ibi vinculis compedibusque constrictus, ad deum mentem serio convertit atque petitam delictorum veniam qua deus est misericordia facile impetravit. Redux igitur pristinam vitae rationem emendavit, et quos ad peccandum induxerat, exemplo suo ad pietatem revocare studuit. Ea autem est hominum ratio, ut facilius atque ardentius peccatorum vestigia persequantur ipsorum libidini grata, quam pietatis exemplum ad imitandum sibi proponant. Id quod Judaeos eo magis tetigit, quum Manassen exciperet Amon filius, patris fatis atque exemplo nec sapientior factus nec melior; quo duce populus omni deditus impietatis generi ad interitum ruit voluntarium atque inevitabilem.

Tum vero Jehova, quantumvis relictus a coniuge pretio satis magno redemta, quantumvis spretus atque contemtus, tamen Nahumi verba I, 3 comprobavit, se esse benignum atque tardum ad iram, illoque impietatis duce

e medio sublato regem ei dedit, qui vel octennis pietatis specimina edidit atque per totum vitae suae tempus talem se gessit, qualis secundum II Reg. XXIII, 25 neque fuit ante eum, neque post eum, qui similis esset, exortus est. Is autem hoc sibi datum esse credidit, ut destructis deorum simulacris omnia superstitionis vestigia atque monumenta prorsus everteret. Quod emendandi studium etiam auctum est, quum, exemplo legis Mosaicae in templo instaurando reperto, minas dei gravissimas perterritus auscultaret atque Hulda vates calamitates maximas prope instare praediceret. Funestis vero impietatis pestis infecerat omnes reipublicae status; sacerdotes enim atque prophetae vel Baali aperte se obstrinxerant, vel si quid restitit pudoris, in utramque partem claudicantes Jehovam atque Baalem cultu conjungebant; principes atque iudices non pietatis exempla sed pravitatis illecebrae officii sui immemores saluti civitatis deerant; ex domibus dei providentia negata suffitus sacrificiorum idolis oblatorum ascendebat. Et huic quidem nefariae vulgi pesti curationem atque medicinam adhibere studuerunt Josias cum prophetis atque paucis, qui segregati ab idololatrarum societate mansueti Jehovam adorabant. At vero populus, si aliquantulum ad bonam frugem se recepit, magis ex metu, ne regis indignationem moveret, quam ex animi sententia se gessit, quare supplicii dies non amplius fuit differendus. Primum autem irae divinae documentum fuit infelix regis optimi interitus, ex quo tempore omne calamitatum genus populo Judaico irruit.

CAPUT II.

DE ZEPHANIAE VATICINIIS.

§. 1.

In omnibus vatum effatis consideranda est aetas eorum populique condicio, quae causa est cur mittuntur,

unde vaticiniorum argumentum quasi profluit. Quare Zephaniae aetate atque reipublicae condicione explicata, iam ad oraculorum argumentum accedamus. Putamus autem oracula illa in duas potissimum partes dividenda esse, quarum prior caput I et II continet, posterior caput III; etenim quam sententiam veteres protulerunt, totum vaticinium uno tenore ut aiunt fluere, ea vel explicationes interpretationi cautae atque circumspectae alienas affert, vel his devitatis verborum atque sententiarum ordinem negligit, id quod *Meiero* accidisse videmus. Acceptas igitur cum *Eichhornio, Jahnio, de Wettio* duas illas partes ita constitutas esse apparet, ut, quum omni revelatione divina contineatur duplex iustitiae atque gratiae ratio, pars certa respondeat utrique. In priore enim iustitiae divinae promulgatio est potior, in posteriore gratiae. Illa igitur pars poenam iustitiae divinae proponit cp. I, adhortationem adiicit II, 1—3, hostium supplicia annunciat v. 4—15. Justitia autem divina primum depingitur in iudicio dei universali conspicua v. 2 et 3, deinde Israelitis instat; hi enim deo vero relicto idola sequebantur sacerdotes atque laici, deo vel prorsus neglecto vel una cum idolis culto v. 4—6; quare supplicium v. 7 imminet et principibus atque nobilibus v. 8 cum ministris eorum officii violentis plenis v. 9; et clade iam propius accedente v. 10 mercatoribus pecunia onustis v. 11; et divitibus opibus secure inhaerentibus v. 12, perniciei certae tradendis v. 13. Huic igitur impiorum turbae dies Jehovae v. 7 indicatus iam adest propinquus atque terribilis v. 14, omnem irae divinae ardorem effundit v. 15, propugnacula populi quaelibet superat v. 16. Tristissima autem erit hominum peccatorum sors v. 17, cuius terrores nullo modo sunt propellendi v. 18.

Quod quum sit iustitiae divinae decretum, vates hortatur, ut populus poenitentiam agat, primum populum uni-

versum compellans, v. 1, supplicii propinquitate atque atrocitate paucis verborum ponderibus comprehensa v. 2, deinde ἐκλογὴν, pios atque mansuetos alloquens, ut ipsos poena iam irruente deus sub umbra alarum suarum protegat, v. 3. Qua admonitione eo certius opus est, quum deus ne gentibus quidem parcat. Omnibus enim instat calamitas; exempla proponuntur occidentem versus Philistaei v. 4, quorum civitati exitium annunciatur v. 5, futurus exitii status describitur v. 6, quorum terra Judaeorum reliquiis erit praedae, v. 7. Deinde occidentem versus Ammonitis atque Moabitis causa poenae indicatur v. 8, poena ipsa funesta proponitur v. 9, quae iusta est superbiae retributio v. 10 omnisque poenae fini inservit, quae est gentium conversio v. 11. Tum meridionales Aethiopes gladio destinantur, v. 12. Postremo Assyriorum ex septentrione imminentium urbs conspicitur vastanda v. 13, cuius condicio miserrima ex aedium ruinis est manifesta v. 14, et quae quondam superba iam irridetur v. 15.

Et haec quidem prior vaticiniorum pars iustitiae acerbitatem depingit potiorem, quare piorum desiderium inhiat alteri gratiae dulcedine illustri. Quod tamen quum sit separatum quoddam oraculum incipit ab accusatione v. 1—6, cuius fructus nullus v. 7 peccatorum poenam, fidelium salutem praecipitantem impellit v. 8—20. Primum enim vates urbem alloquitur quot verbis tot accusationibus v. 1, accuratius explicatis v. 2, deinde pravitatem vituperat status politici, principum atque iudicum v. 3, status ecclesiastici, prophetarum atque sacerdotum v. 4; cui pravitati deus iustitiam suam tanquam exemplum proponit atque iudicia iusta obtendit v. 5, vel in gentium historia perspicua v. 6. At illi ad frugem meliorem non redeunt, quare instat urbis eversio v. 7. Quae quum ita sint, ex hominum sententia nihil est sperandum; fideles autem in Jehova fiduciam collocent, qui gentes est

punituros v. 8, quae punitae ad deum se convertent v. 9, conversae Israelitas pios Hierosolyma sacrificia offerent v. 10. Tum vero peccatores omnes ex sancta dei urbe erunt remoti v. 11, fideles soli superstites v. 12, quorum pietas utrique legis tabulae sufficiens fruitur securitate v. 13. Quam sortem laetissimam vates urbi gratulatur v. 14, hostibus enim remotis deus habitat in populo suo v. 15, omnis iam metus atque pavor abest v. 16 atque salutis perennitas nititur fundamento satis firmo, quum deus sponsam suam habeat in deliciis v. 17. Quae aetas beata quum praesentibus temporum angustiis maxime sit opposita vates repetit omnem tristitiam atque luctum esse removendum v. 18, Israelitas captivos, hostibus superatis, reducendos v. 19, quo facto aetas illa aurea, tempus Messiae beatissimum aderit sempiterna donans beatitudine v. 20.

§. 2.

Populi vero condicio ea est, ut poena divina non amplius sit differenda. Quaeritur autem, qui sint supplicii ministri. Et hos quidem Chaldaeos fuisse sive Babylonios non fuit qui in dubium vocaret, donec *Pezronius* incursionem, quam a Scythis in Palaestinam factam esse *Herodotus* tradit, in prophetarum minorum explicatione respiceret atque Zephaniae animo Scythas hostes obversatos esse contenderet. Qui primi vestigia eius presserunt, *Cramerus* atque *Eichhornius*, Zephaniae vaticiniis intellexerunt Scythas non convenire; recentissime vero *Hitzigius*, *Ewaldus*, *Meierus* *Pezronio* assenserunt. Argumentum autem, quo *Hitzigius* sententiam suam putat confirmari, non videtur valere; etenim verba III, 15 cadere in Scythas, quippe qui Palaestinae finibus ab ipsis occupatae subito excesserint, eam ob causam reiiciendum est, quod vates III, 14 secundum ea, quae infra ac-

curatius demonstrabimus, loquitur de tempore futuro longeque remoto, minime vero de re praesenti vel praeterita. Sequimur igitur eas rationes, quae *Cramerum* atque *Eichhornium*, quippe qui Scytharum invasionem siquidem licuisset confiterentur se libentius accepturos fuisse quam Chaldaeorum, commoverunt, ut Scytharum commemorationem reiicerent; nunquam enim ea fuit Scytharum consuetudo, ut urbes, regnorum capita expugnarent atque everterent, ut gentes patrio solo ereptas in alias transducerent sedes, quae sunt duo hostium indicia vaticiniis nostris significata; sed Scythae vagi atque palantes hinc illinc praedabantur praedaque facta facile erant contenti. Quare nisi Zephaniam, qui Hierosolymorum eversionem in utroque vaticinio praedicit supplicii fastigium, statuere volueris gravissime errasse et ea quidem ratione qua aequalem in errorem raptum esse vix credideris — Scythae hostes praedicti esse non possunt.

Verum etiam aliis locis, quibus Scytharum mentionem fieri putant, commemoratio eorum non est confirmata. Urgent *Hitzigius* eumque secutus *Bertheau* (zur Geschichte der Israeliten. pag. 361) inprimis vaticinia Jeremiae IV, 3 — VI, 30, ad quae conferas *Kueperum* (Jeremias libr. sacr. interpres p. 13) atque *Maurerum*. Scythas autem opinantur indicari, quum 1) Chaldaei non possint nominari populus antiquus Jer. V, 15, verum Chaldaeorum historia eos tam populum antiquum quam novum nominandos esse testatur; 2) quum hostes veniant VI, 22 non modo ex septentrione, sed ex septentrione extremo sicut Gog Ezech. XXXVIII, 6. 15. Sed ut omittam extremas terrae partes ex Deut. XXVIII, 49 in parallelismo membrorum respondere septentrioni, *Hitzigius* ipse XXV, 32 easdem voces contendit de Chaldaeis dictas esse! 3) quum dicantur omnes equis vehi, quippe quod Chaldaeorum principibus conveniat solis Ezech. XXIII, 6—12; verum *omnes*

non aperte indicantur, eadem verba Jer. L, 42 de Medis leguntur, magnum Chaldaeorum equitatum cf. Ez. XXIII, 23, XXVI, 7; 4) quum sit populus V, 16 linguae ignotae, Chaldaeorum lingua Hebraeis nota. Linguam autem ignotam ex Deut. XXVIII, 49 derivatam *Michaelis* forsitan haud iniuria ita intelligit, ut vel nostra aetate Germaniae provinciae aliae aliis utuntur dialectis, vix ut plebis verba intelligas. Haec igitur argumenta haud ita magni videntur momenti esse; repugnat autem Chaldaeorum mentioni primum quod eadem quae de hoc populo irrupturo praedicantur, cum ab aliis prophetis tum a Jeremia Chaldaeis tribuuntur cf. *Kueperum* l. c., deinde quod Jeremias ipse cp. XXV profitetur quae inde ab anno Josiae XIII vaticinatus sit, ea iam per Nebucadnezarem eventum habitura.

Indagemus autem, num incursio à Scythis in Palaestinam facta tam sit certa, ut prophetarum vaticiniis putemus eam respectam esse. Nititur autem praecipue loco *Herodoti* I, 103—105; *Herodotus* enim tradit Cyaxarem Medorum regem, Niniven oppugnantem, a Scythis [1]), qui Cimmerios ex Europa expulsos persequebantur, victum esse Scythisque viginti octo annos principatum cessisse; et hos quidem Asia universa subjecta Aegyptum petiisse, unde quum iam versarentur in Palaestina Syria Psammetichi muneribus precibusque essent retenti; redeun-

[1]) Conferas *Cramerum* infra nominandum, deinde *Beckii* Anleitung zur Welt- und Völkergeschichte ed. sec. I, pag. 666. 671. *Allgemeine Weltgeschichte* ed. Baumgart. IV, pag. 35. 533—535, et *Beerii* Beschreibung des alten Scythiens in den Zusätzen III, p. 25. 26. *Belii* prodromus Hungariae Norimb. 1723, p. 13—16. Praecipue *Bayeri* opuscula ed. Klotzius Halis 1770, Chronologia Scythica vetus p. 137—182. *Mannertii* Geographie der Griechen und Römer IV, p. 86—92. *Niebuhrii* kleine histor. und philol. Schriften p. 207. 208. *Rosenmuelleri* Archaeol. I, 1, p. 272—275. *Rennellii* geogr. systeme of Herodotus p. 146. *Brandstaeteri* Scythica Regiom. Bor. 1837, p. 85—90. *Lindneri* Scythien u. Scythen des Herodot p. 173—177.

tium vero paucos Askalone Veneris Uraniae templum praedatos morbo femineo affectos esse. Ex his igitur verbis sequitur, non solum ut Scythae in Mediam invasionem fecerint, id quod alii quoque testes probant sicut liber Schamaneh regem Keikawum refert annos viginti octo a Turaniis inclusum esse cf. *Hammerum,* Wiener Jahrbücher IX, 1, verum etiam ut Palaestinam ingressi sint. Quam incursionem scripturae sacrae alienam confirmari putant nomine oppidi Scythopoleos, quam antea Bethschean appellatam ab hac Scytharum expeditione nomen cepisse tradat *Eusebius* Chron. I, **40**, *Plinius* Hist. nat. V, **16**, *Gregor. Syncellus* p. **214**, quae primum legatur Jud. I, **27** in versione LXX, ubi *Relandus* Palaest. p. **992** nomen hoc urbis coniicit postea adiectum esse, et *Josephi* Archaeol. XII, 8. At vero *Rosenmuellerus* Archaeol. II, **2**, p. **107**, *Gesenius* Thes. s. v., *Roedigerus* Encyclop. Hal. s. v. Palaestina, *Winerus* Reallex. s. v. bene demonstrarunt, vix credendum esse nomen illud, quum expeditionis tempore lingua Graeca in Palaestina nondum in usu fuerit, tamen inde ortum multa demum post saecula afferri. *Raumerus* autem et *Bertheau* facilius sibi videntur argumentari, quum II Macc. XII, **30** cum *Luthero* putent Judaeos nominari, qui apud Scythas habitent; remansisse igitur in oppido illo Scytharum colonos, unde nomen sit derivandum. At *Roedigerus* ostendit loco Macc. Judaeos afferri, qui habitant Scythopoli, Scytharum igitur ne mentionem quidem fieri. Jam vero *Burkhardtius* Reisen II, **595**, cf. *Rosenm.* l. c. et *Robins.* Palaestina III, **409. 410**, prope Scythopolin invenit ruinas loci Succoth, neque dubitandum est, quin Scythopolis ortum sit ex Succothpolis, quae commutatio siquidem alias Hebraeorum voces a Graecis commutatas in mentem revocaveris, verbi causa Cadytim *Herodoti* de Hierosolymis explicandam cf. infra I, 11, haud ita est magna, quam

primo obtutu videatur; posteriores autem, *Josephus, Eusebius*, vocis similitudinem magis quam historiam secuti facile in errorem inciderunt.

Itaque praeter *Herodoti* verba nihil est, quod Scythas in Palaestinam intrasse testetur. Auctoritati eius videtur repugnare 1) quod scriptura sacra irruptionem illam omnino non memorat. Quod argumentum etiam augetur, quum aliis locis Scythae nominati legantur. Etenim qui affertur Gen. X, 2 et Ezech. XXXVIII. XXXIX populus מגוג secundum *Bochartum* Phaleg. III, 13, quocum conferas *Cramerum* l. c. pag. 103 — 122, Scythas significat; Ezechiel autem Magogum affert hostem remotissimum, post hostes alios omnes nominatos iam ante templi novi conspectum ultimum, gravissimum, id quod apparet etiam ex Apocal. XX, 8, ubi idem ille hostis, aliorum quasi partes agens, ante novum coelum nominatur novamque terram. Hunc vero hostem si Judaei iam experti essent sibi minus periculosum esse, Ezechiel profecto ex vatum more indicasset, quantum discriminis intercedat inter duas illas incursiones. 2) *Josephus* nihil tradit de expeditione illa, *Abydenus* quoque, *Berosus*, *Ctesias* eam non commemorant. 3) Scytharum historia universa huc usque in tenebris iacet; *Herodotus* et ipse hic illic videtur res haud ita certas Scytharum historiae adiungere cf. *Brandstaeterum* pag. 75—78. 4) Eodem fere tempore, quo *Herodotus* Scytharum expeditionem tradit, scriptura sacra, *Berosus* apud *Josephum* contra Apion. I, *Eusebius* Chron. Arm. p. 32, Chaldaeos faciunt Aegyptum usque procedere.

Jam vero quum 1) in maximis illius temporis gentium migrationibus saepe inveniantur gentium consociationes mox traditae mox omissae, veluti *Herodotus* tradit Niniven a Cyaxare expugnatam esse, *Josephus* Archaeol. X, 6 Babylonios addit socios; quum 2) Babylonii hoc ipso

tempore ab Assyriorum imperio liberati, Scytharum principatum in rem suam appareant convertisse; quum 3) Scytharum nomen non sit certis finibus circumscriptum satisque late pateat, nexus quidam inter duas expeditiones videtur veri similis. Et his quidem argumentis *Michaelis* Spicilegium II, p. 45 commotus est, ut Scythas illos omnes *Herodoti* Babylonios scripturae sacrae esse contenderet, cui tamen sententiae neque *Herodoti* verba favent neque scripturae sacrae silentium argumentum est satis firmum. Veri est similius expeditionem illam in Palaestinam a Babyloniis factam esse vel solis vel cum Scythis coniunctis.

Quae utcunque se habent, temporis quoque ratio est incerta. Expeditionem enim Scytharum eorumque dominationem *Bayerus* l. c. p. 145 ex rationibus astronomicis constituit inde ab anno 637—609, *Larcherus* histoire d'Herodote VII, pag. 151—153 annis 633—605, *Volneius* chronolog. Herod. annis 625—598. Ex quibus etiamsi, quum aetatis illius rationes chronologicae maxime sint obscurae [1]), *Bayerus* atque *Larcherus* videantur praeferendi, etiamsi cum *Hitzigio* ponamus Cyaxarem a. 633. Phraortam excepisse, tamen vix videtur Scytharum illa in Palaestinam expeditio certo annorum illorum tempori vindicanda esse; quin etiam *Eusebius* Chron. Armen. II, pag. 107 Scytharum invasionem ante Zephaniam atque Jeremiam prophetas collocat.

Scythas igitur neque Jeremiae neque Zephaniae vaticiniis indicari apparet. Sunt igitur hostes Chaldaei vel

---

[1]) Etiam qui in incertis certissimus videtur solis defectus *Herod.* I, 74 aliis ab aliis viris doctis tribuitur annis cf. *Ideleri* Chronol. I, 209, qui et ipse *Larcheri* vel *Bayeri* calculo maxime assentitur. Tempus vero quo Ninive sit destructa vulgo indicatur annus 625, cf. infra vaticinium II, 13—15; verum *Herodotus* docet oppugnationem urbis fuisse circa a. 630 Scythis appropinquantibus, expugnationem vero atque eversionem a Cyaxare atque Nabopolassare c. annum 605 factam esse.

Babylonii, de quibus cf. *Gesenium* Encycl. XVI, p. 103, *Winerum* Reallex. s. v., *Knobelium* l. c. II, pag. 216 sequ., *Hitzigium* ad Jes. XXIII, 13. Omissa autem Chaldaeorum origine atque historia antiqua, Chaldaeos videmus circa aeram Nabonassaris 747 in Babyloniam immigrantes, Assyriis tributarios. Merodach Baladan, etiam secundum *Berosum* Euseb. Chron. Armen. I, 42. 43, posthac in libertatem se vindicat atque Hiskiae petit amicitiam cf. Jes. XXXIX, 1. Sanheribus autem Belibum, qui Merodacho interfecto rex secutus est, denuo ditioni suae subiecit, ex quo tempore Assyriis remanserunt subditi, qui videntur iis militibus usi esse. Post centum fere annos Nabopolassar, Assyriorum satrapa, cf. *Abydenum* Euseb. Chron. Arm. I, 54 et *Berosum* apud Josephum c. Apion. I, 19, coniunctus cum Medorum rege Babyloniae regem se constituit liberum c. 625, expugnat Niniven una cum Cyaxare, traditque regnum Nebucadnezari, cuius supra attulimus expeditiones in Palaestinam crebras. Et horum quidem Chaldaeorum regem Israelitis poenae divinae fore ministrum Habacuc vaticinatus erat circa annum Josiae decimum tertium, cf. *Delitzschium* (über Abfassungszeit der Prophetie Habakuks in Rudelbachs Zeitschrift für die luther. Theol. 1842, I), eundem Zephania hostem indicat. Etenim quod obiicitur, Chaldaeorum regem inde ab anno 606 demum Israelitis imminere atque Zephaniae non posse obversari, facile reiicitur, quum populum, qui paucos post annos Niniven valuit expugnare, Aegypti regem validissimum vincere, fortitudinis atque virtutis specimina edidisse oportuerit talia, quae potentiam indicarent futuram, quam fusius explicat *Schleyerus*, Würdigung der Einwürfe gegen Jes. XIII—XIV, 23, pag. 315 sequ. Vaticinia autem prophetarum non fuisse irrita, demonstravit Hierosolymorum eversio populique captivitas.

tium vero paucos Askalone Veneris Uraniae templum praedatos morbo femineo affectos esse. Ex his igitur verbis sequitur, non solum ut Scythae in Mediam invasionem fecerint, id quod alii quoque testes probant sicut liber Schamaneh regem Keikawum refert annos viginti octo a Turaniis inclusum esse cf. *Hammerum*, Wiener Jahrbücher IX, 1, verum etiam ut Palaestinam ingressi sint. Quam incursionem scripturae sacrae alienam confirmari putant nomine oppidi Scythopoleos, quam antea Bethschean appellatam ab hac Scytharum expeditione nomen cepisse tradat *Eusebius* Chron. I, 40, *Plinius* Hist. nat. V, 16, *Gregor. Syncellus* p. 214, quae primum legatur Jud. I, 27 in versione LXX, ubi *Relandus* Palaest. p. 992 nomen hoc urbis coniicit postea adiectum esse, et *Josephi* Archaeol. XII, 8. At vero *Rosenmuellerus* Archaeol. II, 2, p. 107, *Gesenius* Thes. s. v., *Roedigerus* Encyclop. Hal. s. v. Palaestina, *Winerus* Reallex. s. v. bene demonstrarunt, vix credendum esse nomen illud, quum expeditionis tempore lingua Graeca in Palaestina nondum in usu fuerit, tamen inde ortum multa demum post saecula afferri. *Raumerus* autem et *Bertheau* facilius sibi videntur argumentari, quum II Macc. XII, 30 cum *Luthero* putent Judaeos nominari, qui apud Scythas habitent; remansisse igitur in oppido illo Scytharum colonos, unde nomen sit derivandum. At *Roedigerus* ostendit loco Macc. Judaeos afferri, qui habitant Scythopoli, Scytharum igitur ne mentionem quidem fieri. Jam vero *Burkhardtius* Reisen II, 595, cf. *Rosenm.* l. c. et *Robins.* Palaestina III, 409. 410, prope Scythopolin invenit ruinas loci Succoth, neque dubitandum est, quin Scythopolis ortum sit ex Succothpolis, quae commutatio siquidem alias Hebraeorum voces a Graecis commutatas in mentem revocaveris, verbi causa Cadytim *Herodoti* de Hierosolymis explicandam cf. infra I, 11, haud ita est magna, quam

primo obtutu videatur; posteriores autem, *Josephus, Eusebius*, vocis similitudinem magis quam historiam secuti facile in errorem inciderunt.

Itaque praeter *Herodoti* verba nihil est, quod Scythas in Palaestinam intrasse testetur. Auctoritati eius videtur repugnare 1) quod scriptura sacra irruptionem illam omnino non memorat. Quod argumentum etiam augetur, quum aliis locis Scythae nominati legantur. Etenim qui affertur Gen. X, 2 et Ezech. XXXVIII. XXXIX populus מגוג secundum *Bochartum* Phaleg. III, 13, quocum conferas *Cramerum* l. c. pag. 103 — 122, Scythas significat; Ezechiel autem Magogum affert hostem remotissimum, post hostes alios omnes nominatos iam ante templi novi conspectum ultimum, gravissimum, id quod apparet etiam ex Apocal. XX, 8, ubi idem ille hostis, aliorum quasi partes agens, ante novum coelum nominatur novamque terram. Hunc vero hostem si Judaei iam experti essent sibi minus periculosum esse, Ezechiel profecto ex vatum more indicasset, quantum discriminis intercedat inter duas illas incursiones. 2) *Josephus* nihil tradit de expeditione illa, *Abydenus* quoque, *Berosus*, *Ctesias* eam non commemorant. 3) Scytharum historia universa huc usque in tenebris iacet; *Herodotus* et ipse hic illic videtur res haud ita certas Scytharum historiae adiungere cf. *Brandstaeterum* pag. 75—78. 4) Eodem fere tempore, quo *Herodotus* Scytharum expeditionem tradit, scriptura sacra, *Berosus* apud *Josephum* contra Apion. I, *Eusebius* Chron. Arm. p. 32, Chaldaeos faciunt Aegyptum usque procedere.

Jam vero quum 1) in maximis illius temporis gentium migrationibus saepe inveniantur gentium consociationes mox traditae mox omissae, veluti *Herodotus* tradit Niniven a Cyaxare expugnatam esse, *Josephus* Archaeol. X, 6 Babylonios addit socios; quum 2) Babylonii hoc ipso

tempore ab Assyriorum imperio liberati, Scytharum principatum in rem suam appareant convertisse; quum 3) Scytharum nomen non sit certis finibus circumscriptum satisque late pateat, nexus quidam inter duas expeditiones videtur veri similis. Et his quidem argumentis *Michaelis* Spicilegium II, p. 45 commotus est, ut Scythas illos omnes *Herodoti* Babylonios scripturae sacrae esse contenderet, cui tamen sententiae neque *Herodoti* verba favent neque scripturae sacrae silentium argumentum est satis firmum. Veri est similius expeditionem illam in Palaestinam a Babyloniis factam esse vel solis vel cum Scythis coniunctis.

Quae utcunque se habent, temporis quoque ratio est incerta. Expeditionem enim Scytharum eorumque dominationem *Bayerus* l. c. p. 145 ex rationibus astronomicis constituit inde ab anno 637—609, *Larcherus* histoire d'Herodote VII, pag. 151—153 annis 633—605, *Volneius* chronolog. Herod. annis 625—598. Ex quibus etiamsi, quum aetatis illius rationes chronologicae maxime sint obscurae [1]), *Bayerus* atque *Larcherus* videantur praeferendi, etiamsi cum *Hitzigio* ponamus Cyaxarem a. 633. Phraortam excepisse, tamen vix videtur Scytharum illa in Palaestinam expeditio certo annorum illorum tempori vindicanda esse; quin etiam *Eusebius* Chron. Armen. II, pag. 107 Scytharum invasionem ante Zephaniam atque Jeremiam prophetas collocat.

Scythas igitur neque Jeremiae neque Zephaniae vaticiniis indicari apparet. Sunt igitur hostes Chaldaei vel

---

[1]) Etiam qui in incertis certissimus videtur solis defectus *Herod.* I, 74 aliis ab aliis viris doctis tribuitur annis cf. *Ideleri* Chronol. I, 209, qui et ipse *Larcheri* vel *Bayeri* calculo maxime assentitur. Tempus vero quo Ninive sit destructa vulgo indicatur annus 625, cf. infra vaticinium II, 13—15; verum *Herodotus* docet oppugnationem urbis fuisse circa a. 630 Scythis appropinquantibus, expugnationem vero atque eversionem a Cyaxare atque Nabopolassare c. annum 605 factam esse.

Babylonii, de quibus cf. *Gesenium* Encycl. XVI, p. 103, *Winerum* Reallex. s. v., *Knobelium* l. c. II, pag. 216 sequ., *Hitzigium* ad Jes. XXIII, 13. Omissa autem Chaldaeorum origine atque historia antiqua, Chaldaeos videmus circa aeram Nabonassaris 747 in Babyloniam immigrantes, Assyriis tributarios. Merodach Baladan, etiam secundum *Berosum* Euseb. Chron. Armen. I, 42. 43, posthac in libertatem se vindicat atque Hiskiae petit amicitiam cf. Jes. XXXIX, 1. Sanheribus autem Belibum, qui Merodacho interfecto rex secutus est, denuo ditioni suae subiecit, ex quo tempore Assyriis remanserunt subditi, qui videntur iis militibus usi esse. Post centum fere annos Nabopolassar, Assyriorum satrapa, cf. *Abydenum* Euseb. Chron. Arm. I, 54 et *Berosum* apud Josephum c. Apion. I, 19, coniunctus cum Medorum rege Babyloniae regem se constituit liberum c. 625, expugnat Niniven una cum Cyaxare, traditque regnum Nebucadnezari, cuius supra attulimus expeditiones in Palaestinam crebras. Et horum quidem Chaldaeorum regem Israelitis poenae divinae fore ministrum Habacuc vaticinatus erat circa annum Josiae decimum tertium, cf. *Delitzschium* (über Abfassungszeit der Prophetie Habakuks in Rudelbachs Zeitschrift für die luther. Theol. 1842, I), eundem Zephania hostem indicat. Etenim quod obiicitur, Chaldaeorum regem inde ab anno 606 demum Israelitis imminere atque Zephaniae non posse obversari, facile reiicitur, quum populum, qui paucos post annos Niniven valuit expugnare, Aegypti regem validissimum vincere, fortitudinis atque virtutis specimina edidisse oportuerit talia, quae potentiam indicarent futuram, quam fusius explicat *Schleyerus*, Würdigung der Einwürfe gegen Jes. XIII—XIV, 23, pag. 315 sequ. Vaticinia autem prophetarum non fuisse irrita, demonstravit Hierosolymorum eversio populique captivitas.

§. 3.

Restat, ut agamus de indole oraculorum Zephaniae. Resonuerunt autem in plerisque virorum doctorum sententiis *Lowthii* verba, poeticum esse Zephaniae stilum sed nihil eum videri habere singulare aut eximium neque in dispositione rerum neque colore dictionis. Et primum quidem obiiciunt oraculis nostris nimium alios imitandi vitium. Hoc vero ex munere vatum posteriorum necessario flagitandum est.

Vates enim sunt נְבִיאִם, per quos deus loquitur, id quod testatur Deut. XVIII, 18: prophetam excitabo iis e medio fratrum ipsorum tui instar, et dabo verba mea in os eius et dicet iis omne quod mandabo ei. Locutus autem est deus ad hominem lapsum, ut reconciliaret eum atque redimeret; omnis igitur revelatio divina duplex est, altera ex parte salutis condicionem proponens, altera salutem ipsam promittens. Itaque est duplex quoque ministrorum revelationis, prophetarum officium, et legem dei inculcandi et promissiones pronuntiandi. Utrumque coniunctum videmus in eo qui primus nominatur propheta, Mosen dico; is enim in Pentateuchi libris legem dei docet simulque legem obsecutis salutem pollicetur laetissimam. Sequentes autem prophetas *Calvinus* bene dicit esse legis interpretes, atque inter Mosen et ipsos hoc tantum interesse, quod doctrinam generalem suo tempori accommodent. Omnes igitur vates nituntur Pentateucho, cuius vestigia deprehendimus creberrima. Pentateuchum vero sacerdotes quoque docebant atque inculcabant; proprium igitur vatibus fuit, quod non humanis tantum viribus legem interpretabantur, sed deus ipse quae erant indefinita, ex temporis ratione per ipsos definivit. Hinc peccatorum poenae in lege propositae a vatibus praedicantur iam prope imminentes, a certo quodam hoste infligendae; hinc promissiones, quo minus

praesens rerum status regnum divinum appropinquare ostendebat, eo distinctius parvam piorum manum docuerunt a tristibus peccatorum suppliciis oculos erigere ad prospectum regni Christi pulcherrimum.

Quam prophetarum indolem universam egregio exemplo confirmant vates, qui vaticiniis gravioribus atque omnibus ecclesiae temporibus destinatis digni habiti in canonem sunt recepti. Hos autem eo potissimum tempore mittendos fuisse apparet, quo impietas populi poenas necessario flagitabat atque pii, quorum fidei externa populi condicio non amplius respondebat, erant consolandi. Et hoc quidem ter evenit, quare tres nobis traditae sunt vaticiniorum consociationes; prima circa invasionem Assyriorum, qui maiorem populi partem in exilium duxerunt, secunda circa incursiones Chaldaeorum, qui piorum manu in captivitatem abducta, Hierosolyma destruxerunt, tertia circa restitutionem populi neque ipsius exspectationi neque vatum promissis convenientem. Quem vatum ordinem paucis describamus, ut quae ratio inter Zephaniam atque alios prophetas intercedat significetur. Sequemur autem prophetarum minorum ordinem chronologicum, quem in canone ita observatum esse existimamus, ut ab eo solus recedat Hoseas, quem eandem ob causam inter aequales primum positum esse apparet, propter quam prophetae maiores a minoribus sunt separati, propter ampliorem vaticiniorum ambitum. Cuius ordinis siquis argumenta requirat, eum reiicimus ad *Delitzschii* commentationem l. c. pag. 12—16, qua quod nostrum non est explicare, accuratius demonstratur.

Primae igitur aetatis primus universum prophetarum ordinem ducit *Joel*, qui totum prophetiae argumentum una quasi comprehensione complexus, dei iustitiam die iudicii universalis, dei gratiam laetissimis Messiae temporibus manifestandam imaginum frequentia illustris depin-

git. *Amos*, pastor ille Tecoensis, omnipotentiam dei, quam ipsi in pascuis solitario visiones divinae revelarunt, imaginibus coloribusque describit pascuorum memoriam olentibus; quam omnipotentiam *Obadia* docet vehementissimos hostium impetus vincere. Opponit *Jonas* liberam dei gratiam, quae populum suum non propter pietatem eius egregiam, quippe qua gentes facile eum superaverint, sed propter amoris sui affectionem elegit. Quamvis enim Deus semper sibi fuerit constans, populum ostendit infidelem, scortantem *Hoseas* doloris profunditatem visionibus atque imaginibus obscuris assecutus. Quare quum Assyrii iustitiae divinae ministri supplicium de populo sumsissent, gratiae divinae testis *Michas* mittitur, qui parvus quodammodo Jesaias futurum Messiae regnum distincte vaticinatur, vel loco quo nasciturus sit indicato. Et ne humana videatur Assyriorum victoria *Nahum* ministrorum iustitiae interitum iustum sermone vivido atque alacri pronuntiat. Quos vates omnes quasi complectitur *Jesaias*, veteris testamenti evangelista, qui de specula sua elata regni divini cursum inter omnes veteris testamenti viros pios apertissime prospiciens tam iudiciorum divinorum ordinem intuetur, quam felicem Christi adventum atque novum Messiae regnum.

Eodem fere modo secundus procedit prophetarum ordo, quem circa Chaldaeorum incursiones diximus a deo missum esse. At si priores illi vates Pentateucho nituntur atque raro tantum alii aliorum vestigia premunt, iam secundae periodi indoles fert, ut vatum priorum effata de industria videamus respecta, quorum eventus novo eventui praedicto fidem praestat. Et hic quidem primus procedit *Habacuc*, inter utramque periodum medius, illius sublimitati nullo modo cedens, huius hostes Chaldaeos appropinquantes cernens; fidei in ipsis dei iudiciis haud perterritae hymnum canit inter absolutissimos in eo ge-

nere merito numeratum. *Zephania*, die Jehovae iam prope imminente totum rerum humanarum ordinem prospicit, iustitiam dei haud evitandam atque gratiam in regno Messiae abundantem egregio depingit spectaculo. *Ezechiel* exulibus ad littora Chaborae quibus gratiae dona praesentia nulla solatium afferens, maxima imaginum audacia in futurum Christi regnum novumque templum eos ducit, ubi bonus est gregis pastor, verus templi sacerdos. Quibus vatibus omnibus aequalis, omnium vice fungens, *Jeremias* vaticinatur poenam populo minantem, videt Chaldaeos irrumpentes, insidet lacrimas profundens Hierosolymorum ruinis, sustentatur consolatione, quam regnum Messiae ei praebet, ubi neque lacrimae amplius neque threni.

Quae Messiae aetas quum populo in patriam reducto non futura sed praesens cogitaretur, condicio autem Israelitis impertita non conveniret exspectatae, *Haggaeus* remissas eorum qui templum reparabant manus erigit, pronuntians huius templi gloriam pristinam longe esse superaturam. *Sacharia* Messiae in novum hoc templum adventum tam accurate prospicit, ut vaticiniorum eius impletorum vestigia in dies plura admiremur longoque eum silentii tempore flagranti exspectationis desiderio suffecisse facile intelligamus. Postremus denique *Malachias* postremum Israelitis edit vaticinium, quod poenam impiis inevitabilem promulgat simulque Messiae praecursore annunciato portam aperit, qua parva electorum manus ex legum vinculis in liberam Christi ecclesiam erumpat.

Et hic quidem prophetarum conspectus Zephaniae aliorum vatum imitationem crimini dandam non esse demonstrat. Immo vero Zephaniae autoritas, cuius aetas a nemine fere est in dubium vocata, veterum sententiam de iis libris testari videtur, quos recentiores alii tempori vindicandos esse existimant; etenim ut omittam Joelem, Amo-

sum, Hoseam, librum Jobi, praecipue respicit Jesaiam, et ea quidem capita, quae haud pauci iam ei subducunt, atque Deuteronomium; quae exempla tam sunt crebra, ut quamvis singula interdum minus aperte indicent Zephaniam esse posteriorem, coniuncta tamen negligi non possint. Conferas Deut. IV, 24 et Zeph. I, 18. V, 22 et I, 15. XXVI, 17—19 et III, 19. 20. XXVIII, 29 et I, 17. XXVIII, 30. 39 et I, 13. XXVIII, 52 et I, 16. 17. XXXII, 4 et III, 5. XXXII, 21. 22 et I, 18; deinde Jesaiae XIII, 17. 18 et I, 18. XIII, 3 et III, 11. XIII, 7 et III, 16. XVI, 6 et II, 8. 10. XLI, 23 et I, 12. XLII, 13 et I, 14. XLVII, 8 et II, 15. LX, 14 et III, 19. LXII, 2—4 et III, 16. LXII, 5 et III, 17. LXVI, 15 et III, 8. LXVI, 20 et III, 10. Quos locos ut apparet a Zephania respectos esse, sic Jeremias atque Ezechiel Zephaniam locis plurimis vel repetunt vel usui suo accommodant.

Praeter imitationem obiiciunt oraculis inconcinnitatem imaginum; *Eichhornius* autem leges pulchri eas fingit, ut pisces atque aves in exitio descripto, ut vocatos in sacrificio a deo facto, ut deum omnis nequitiae expertem, opinetur contra leges pulchri dicta! Vel *Coellnius* descriptionem caedis I, 17 atque cohortationem II, 1. 2. putat inconcinne dicta; at vates non erant poetae tantum neque sunt ex poetarum more diiudicandi; sed ipsis id inprimis agendum erat, ut animos commoverent atque terrerent. Res autem verbis illis est tristior atque acrior.

Nimium vero paronomasiarum studium Zephaniae crimini dandum non est. Paronomasiae enim testantur ingenii eius vim atque ubertatem verborumque augent pondus; coniunguntur enim quoad sonum similia, quae notione differunt. Exempla autem complura praebet II, 4. II, 5. III, 1, fortasse I, 11. Deinde cumulantur eiusdem

radicis formae diversae cf. I, 15. 18. II, 1, atque radices similes I, 2.

Genus autem dicendi, quamvis Jesaiae praestantiam atque vigorem Habacuci in capite tertio conspicuum non exaequet, tamen neque elegantia caret neque alacritate; admiranda est ingenii dexteritas, qua vatum priorum effata in usum suum convertit. Imagines affert non modo sibimetipsi proprias verum etiam rem describendam praeclare illustrantes, ingenii impetum testantes. Parallelismus membrorum, non per omnes partes observatus, interdum est egregius atque dicendi genus sequitur rerum rationem quae mox deprimit vatem, mox altius assurgit.

Knobelius contendit neque morum indolem neque pietatem aperte spectari; quae sententia quam sit arbitraria atque ex interpretis arbitrio pendeat, demonstrat *Coellnius* (Biblische Theologie pag. 317), qui hanc ipsam rationem a nemine vatum priorum tam distincte atque insignite depictam esse confirmat. Quod si *Knobelius* doctrinam, qua regnum divinum non angustis populi unius finibus circumscribatur sed omnes omnino homines complectatur, egregie quidem prolatam locis II, 7. 9. III, 19 opinatur Judaeorum studio cedere sibi solis salutem arrogantium, notionem regni divini, tam latissime patentis quam angustis fidei finibus coerciti, videtur negligere.

Melius profecto *Ewaldus* id Zephaniae praecipuum tribuit, quod omnes omnino terras atque gentes sermone comprehendat atque spiritalia totius terrae fata speculanti eius oculo pateant. Quae ratio licet comparato inprimis Jesaia non sit prorsus nova, tamen quantopere Zephaniae sit propria apparet Joele respecto; etenim sicut ille in initio periodi primae quam dicunt Jesaiae collocatus est, ita Zephania periodi secundae proprie primus Joeli tam die iudicii descripto quam generali eius complexu est simillimus; Zephania autem certum vaticinii eventum adeo ne-

gligit, ut ne regionem quidem coeli indicet, unde supplicium divinum immineat, salutem vero ab Joele Israelitis solis praedictam conversis hominibus omnibus vaticinetur. Quare inter omnes prophetas Zephania maxime versatur in describendo regni divini ordine universo.

Quae quum ita sint, apparere existimamus quatenus sit probanda *Lutheri* sententia, qui Zephaniam clarissime dicit inter prophetas minores de regno Christi vaticinari idque agere satis copiose dilucidisque verbis. Quamvis enim vaticinia certa, quae Christi adventum atque opus redemtionis indicent, in libro nostro non legantur, tamen quae vatis oculis obversatur praeclara regni divini imago per Christum solum perfecta adest, in ecclesia christiana perspicua, complenda in triumphante ecclesiae aevo.

CAPUT III.

INTERPRETUM ELENCHUS.

Zephania in universum nimis neglectus interpretum quoque cura haud ita magna gavisus est; quare si in quo alio veteris testamenti scriptore explicando, praecipue Zephaniae interpretem oportet commentarios universum V. T. illustrantes respicere.

Et primum quidem versionem comparavimus LXX, quae tamen locis permultis a textu Hebraico destituitur; quam sequitur ea, quae in bibliis Polyglottis Londini editis Vol. III continetur versio *Arabica,* saeculo decimo vindicanda, cf. *Gesenium* Jes. I, 1, pag. 98, explicationi nullius fere momenti. Deinde *Chaldaica* Jonathanis, filii Uzielis, quam tradunt centum annos ante Christum natum factam esse cf. *Gesenium* l. c. p. 66—80, quamvis interdum nimia libertate usa, tamen haud raro rectum indicat verborum sensum. Tum *Syriaca,* Peschito, cf. *Gesenium* l. c. p. 81, quae videtur saeculo post Christum secundo composita

esse, olet quidem LXX, sed respexit quoque textum Hebraicum, cuius interpretationi haud ita magno est emolumento.

Ex *Patribus*, primum ecclesiae graecae, nominandus est *Cyrillus Alexandrinus*, cuius scholae Alexandrinae virtutes atque errores aperte prae se ferentis verborum copiae non respondet rerum pondus; *Theodorus Mopsuestenus*, cuius commentarium in prophetas minores *a Wegnern* edidit 1834, qua est universa eius theologia prudentia, et eventum vaticiniorum historicum urget et proprium verborum sensum saepius indicat, quam *Theodoretus*, qui Christi atque apostolorum aetatem nimis respiciens, priorem vaticiniorum eventum facile negligit, ceterum interpres, si temporis illius rationem habueris, eximius. Ecclesia occidentalis solum tradit *Hieronymum*, qui quantumvis reieceris allegorias eius longe repetitas, tamen ex omnibus interpretibus ante *Calvinum* maxime est in usum convertendus. Etenim qui sequuntur vasto medii aevi tempore, *Glossa ordinaria Walafriedi Strabonis*, *Glossa interlinearis Anselmi Laudunensis*, *Remigius Antisidorensis* (Bibl. Max. Tom. XVI), *Rupertus Duitiensis*, *Albertus Magnus* (Opera Lugd. 1651, Tom. VIII) fere omnes *Hieronymi* vestigia premunt atque acquiescunt in explicationibus tropologicis, mysticis; quibus adnumerandus etiam est *Cornelius a Lapide*, aetate posterior indole his aequalis.

Nova Zephaniae quoque lux effulsit tempore reformationis, unde primum locum tenet *Lamberti Avenionensis* commentarius in quatuor ultimos prophetas 1526, prudentior quidem sed ipse quoque ab explicatione mystica non alienus. Deinde primitias afferimus *Buceri* in Zephaniam enarrationem 1528, qui et interpretationi grammaticae prospicit et sensum tam apte indagat quam circumspecte vitae rationibus accommodat. Tum commentarii nominandi

sunt *Lutheri*, qui brevem tantum dat explicationem; *Calvini*, qui explicationi theologicae atque practicae uberrimam experientiae christianae thesaurum fodinam praebet ditissimam. Prudenter atque pro illius temporis ratione egregie interpretatur *Tarnovius*. *Cocceius* autem revocat interpretationem illam allegoricam, quae Zephaniam facit accuratissime Christi incarnationem atque opus mediatorium praedicere, quamvis *Ludovicus de Dieu*, *Grotius* et qui postea ei adiunguntur *in Criticis sacris Vatablus*, *Drusius* explicationem grammaticam atque historicam promoverint. *Cocceium* igitur refutat *Joannes Marckius*, omnia quae ante ipsum in vaticiniorum enarrationem prolata erant, diligentia egregia complexus. *Tarnovii* sententias fusius explicat atque applicat *Joannes Schmidius*. *Grotium* saepe literae tantum inhaerentem impugnat *Calovius*, victor haud raro. Quorum ex sententiis optima quaeque eligit, locorum parallelorum collectionem egregiam addit *Joannes Henr. Michaelis*; quod idem appetit *Calmetus*. Applicationem magis quam explicationem praebet *Jo. Arn. Noltenii* dissert. exegetica praeliminaris in prophetiam Zephaniae Traj. ad Viadr. 1719 cum prolegomenis capitis primi explanationem uberiorem continens. *Burkii* gnomon in proph. min. 1753 quamvis *Bengelii* acumen non oleat, tamen nexui sententiarum indagando operam dat haud irritam. Deinde *Car. Frid. Crameri* commentarius legitur in libro: Scythische Denkmäler in Palästina, Kil. et Hamb. 1777; minus vaticiniorum explicatione quam sententia de Scytharum incursione supra disputata insignis. Nominandus tantum est, ne omisisse eum videamur *Bauerus* et in libro: die kleinen Propheten 1790 et in scholiis in V. T *Schulzii* ab ipso continuatis. Deinde *Car. Theoph. Antonius* Caput III vertit novamque proponit v. 18 exponendi rationem, Gorlicii 1811, quae quamvis in universum nimis artificiosa, tamen haud est spernenda.

Nova autem grammaticae atque lexicologiae aetas *Gesenio* inprimis debita Zephaniae fructus tulit uberrimos, quorum primitias praebuit *Herwigius* (*Bengels* Archiv für die Theol. 1816, fasc. 3), ipse minus subtilis atque parum diligens. Egregium autem est *Coellnii* spicilegium observationum exegetico — criticarum ad Zephaniae vaticinia Vratisl. 1818, cuius enarratio est subtilissima viroque illo docto haud indigna, et introductionem circumspecte constituens et locos difficiles docte explicans, adeo quidem, ut *Rosenmüllerus* in scholiis in vet. Test. VII, 4 ed. sec. 1828 optime sibi consuluisse videatur, quum commemoratis veterum ratis *Coellnium* fere semper sequatur; cuius neglecti poenam luit *Theinerus*, die zwölf kleineren Propheten, Leipzig 1828, *Eichhornii* opiniones sedulitate nimia secutus. *Ackermannus*, prophetae minores Viennae 1830, commentarios et patrum et ecclesiae catholicae veteres pie affert, *Rosenmüllero* atque *Coellnio* ex recentioribus respectis. *P. Ewaldus*, der Prophet Zephania, Erlangen 1827, neque aetatis nostrae doctrinae neque animi pii desiderio sufficit.

Ex versionibus obsoleta iam est versio *Dathii;* satis accurata atque subtilis *Augusti et de Wettii* die Schriften des alten T. 1810; arbitraria prorsus *Eichhornii,* die hebräischen Propheten 1819; egregia atque ex diligentissimo tam linguae quam vatum studio profecta *Rückerti* hebr. Propheten 1831.

At vero tres commentarios tulerunt anni proximi, quibus enarratio haec plurimum debet. Primus *Hitzigius*, die zwölf kleinen Propheten, quantum exegesis grammatico-historica valeat, locis permultis confirmavit. Cui tamen viro docto si quae elapsa est explicatio nimis arbitraria *Maurerus* tam diligenter quam prospero gavisus eventu ei insistit, atque qua usus est dicendi brevitate interpretationi fundamentum iecit egre-

gium. Jam vero uno omnes ore consentiunt, enarrationem illam grammatico-historicam speciem exegeseos plane perfectae omnibusque numeris absolutae non assequi, sed subtilissimas veterum explicationes haud iure negligere. *Ewaldus* igitur, die Propheten des alten Bundes I, 1840, in singulis verbis locisque interpretandis interdum ingenio indulgens, poeticam vatum indolem non modo perspexit atque nexum sententiarum intellexit, sed legentium quoque animos vatum amore atque admiratione studet afficere. Verum haec et ipsa est una tantum interpretationis pars; deest ea, quam alii jam practicam nominant, alii theologicam, quippe quae grammaticae, historiae, logicae, poeseos iuri nihil detrectet, atque simul indicet interpretem vatis verba a deo revelata credere omnibus ecclesiae temporibus in rem suam esse convertenda. Et haec quidem exegeseos effigies interpretanti mihi obversata est, cuius hanc enarrationem noluerim specimen haberi propositae sed expetitae testem.

CAPUT I.

Zephaniae vaticinia in duas vidimus dividenda esse partes, quarum altera Cap. I et II, altera Cap. III. continet. Prior illa pars iterum in duas partes abit; incipit enim promulgatione supplicii culpam populi necessario secuturi in cp. I, atque absolvitur admonitione et promissione in cp. II. Primum autem caput post inscriptionem in v. 1, judicium Dei universale pronuntiat v. 2 et 3, deinde ad specialem Judaeorum poenam transit v. 4—18.

v. 1.

Verbum Jehovae, quod factum est ad Zephaniam, filium Cuschii, filii Gedaliae, filii Amariae, filii Hiskiae, in diebus Josiae, filii Amonis, regis Judae. Inscriptio vaticiniorum vulgaris, non hominum effata, sed dei verba proferri annuntians, utpote quae scriptoribus sacris tam novi quam veteris testamenti summi sit momenti, non modo quae illis tribuenda sit auctoritas, verum etiam qua ratione intelligi velint atque explicari, testatur. Etenim quae deus effatur, eorum cognitionem veram deus praebet solus; quare qui suis tantum viribus fretus dei verba explicare audeat, is quae profundissima revelata sunt, primoribus tantum labris gustando poenas persolvet justas. Inscriptione igitur ipsa non nisi Jehovae spiritu illuminante atque ducente Jehovae verba intelligenda esse docemur.

v. 2 et 3.

v. 2. *Auferendo auferam omnia de superficie terrae, dictum Jehovae.* Atrocissimum vaticinii exordium, horrendam perniciei futurae comminationem complectens! In אָסֹף אָסֵף Z. cum verbo finito a rad. סוף infin. radicis cognatae אסף conjungit, quam conjunctionem verborum eandem a Jeremia VIII, 13 ex nostro loco petitam esse *Küper* Jeremias libr. sacr. vindex Berol. 1837 p. 77, bene probat; similiter Jes. XXVIII, 28 אָדוֹשׁ יְדוּשֶׁנּוּ. Ponderi, quod infin. absol. eiusdem radicis cum verb. fin. conjuncto inest, radix haec diversa quidem sed quoad sensum sonumque simillima ornatum addit. אסף vulgo colligere, quae tamen collectio tam bono sensu pios saluti adducit quam malo impios dei judiciis tradit, ita ut sit etiam tollere, interficere cf. Ps. XXVI, 9. Sunt qui אָסֵף et ipsum a rad. אסף derivent, ut positum sit pro אַאֲסִף, sicut Jes. XIII, 20 יַהֵל a rad. אהל, sed quum hiph. vocis אסף alias non legatur, vox סוֹף etiam Jes. LXVI, 17 inveniatur, non est cur formae regulari irregularem praeferamus. — אדמה aut de terra universa aut de terra Judaica explicatum duorum versuum sententiam constituit. אדמה proprie humus, deinde terra universa, de certa quadam regione non nisi ex certo sententiarum nexu dicitur; is autem nostrum versum ad terram Israeliticam coercendum esse non flagitat. Vel *Maur.* sensum arctiorem contra *Hitzigium* defendens argumenta sua non sufficere sentit; etenim quum nexus inter offensiones v. 3 et reliquias Baalis v. 4 is sit, ut quod de idolorum cultoribus in universum valeat, ad Baalem jam referatur, inde demonstratum non est v. 2 et 3 de iis tantum sermonem inferri, quae proxime sequantur, neque vatem ab universali dei proprietate ad certam eius manifestationem descendere. Sed sunt praeter propriam vocis notionem alia argumenta, quae de terra

universa sermonem esse significant. Primum enim nihil praecedit, quod v. nostrum ad Judam restringendum esse indicet, et quum v. 1 nihil nisi vatis munus propheticum in universum, nulla addita populi definitione, contineat, nos quoque non decet definire non definita. Videtur etiam Zephania respicere Dei verba Gen. VI, 7, ubi deum quum videret, magnam esse malitiam hominis in terra, poenituit se hominem creasse, dixitque: „consumam hominem quem creavi a superficie terrae, ab homine usque ad bestias, usque ad reptilia et ad aves caelorum.“ Hanc terram de universo terrarum orbe intelligendam esse, non est qui neget; Z. autem minationibus suis pondus gravius afferre non potuit, quam populo iis Dei effatis in memoriam revocatis, quorum impletio funesta minationes eius vanas non esse satis superque docuerat. Et hac quidem ratione idem deprehendimus, quod Micha I, 2—4. Jes. II. legimus; vates enim, ne quis de dei in Israelitas potestate dubitet, in exordio tam librorum quam vaticiniorum singulorum omnipotentiam dei, cui omnis creatura obnoxia, ante oculos ponunt. Ita Z. de judiciis particularibus dicturus Dei judicium universale, quod nemo est, qui effugiat, tanquam fontem monstrat, unde alia omnia profluant. Objectum irae, voce כל indicatum, jam accuratius explicatur.

v. 3. *Auferam homines et bestias, auferam aves coeli et pisces maris, et offensiones cum improbis, et excidam hominem a superficie terrae, dictum Jehovae.* Descriptioni nostrae supra vidimus *Eichhornium* inconcinnitatem objicere, quum pisces cum avibus nominati aetatem vatis oleant posteriorem; sed ut omittam argumentum reale in diluvio perspicuum, etiam Hos. IV, 3 perniciem a deo constitutam haud secus pronuntiat ac Zeph., cui praeter Gen. VI etiam Hos. ante oculos obversabatur. Multo profecto melius *Theodoretus* loci sententiam intellexit, ad-

dens: „ὥσπερ γὰρ εἰς θεραπείαν τῶν ἀνθρώπων καὶ πτηνὰ καὶ νηκτὰ καὶ κτήνη πεποίηκα, οὕτως σὺν αὐτοῖς καὶ ταῦτα διαφθερῶ. περιττὴ γὰρ τούτων ἡ χρεία, τῶν ἀπολαυόντων οὐκ ὄντων.“ Et experientia doctus *Hieron.*: „Iram quippe domini etiam bruta sentiunt animalia; et vastatis urbibus hominibusque interfectis solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri et volatilium pisciumque, testis Illyricus est, testis Thracia, testis in quo ortus sum solum, ubi praeter coelum et terram et crescentes vepres et condensa silvarum cuncta perierunt.“ Causam autem indicat *Calv.*: „Scimus mundum obnoxium esse corruptioni non sponte, hoc est, non naturaliter, sed quia contagio ex lapsu Adae sese diffudit per caelum et terram, totusque mundus implicitus est cum homine sub maledictione dei.“ Cf. Rom. VIII, 20—22, ubi Paulus eundem illum nexum internum inter τὴν κτίσιν, totum mundum, atque hominem testatur. Quae sequuntur והמכשׁלות את הרשׁעים maxime turbarunt interpretes. Constructiones verborum ipsae tot sunt tamque diversae, ut ex magna earum copia tres tantum nominemus, quae maxime in censum veniant. *Lud de Dieu* conjunxit את cum antecedenti voci, ita ut part. casum verbi sui regat, et vertat: auferam, quae impios offendere faciunt; sed quum מכשׁלה etiam alias substantive legatur, non est cur ad notionem verbalem recurramus, quam si retinuisset Z., profecto apertius indicasset. Alii, ut *Ew.*, את הרשׁעים appositionem putant atque epexegesin offensionum in universum allatarum; sed primum nescio an haec sententia forma subst. מכשׁלה abstracta expressa esset, deinde sensus ex hac constructione profectus, hominem et incipientem versum nostrum et finientem, etiam in medio collocans, minus aptus videtur. Plerique igitur את vertunt cum, una cum, quae notio eo facilius se offert, quum accus. praecedentes sine signo accus. positi huic את vim

praecipuam tribuant. Quaeritur, quid sint המכשלות. *Hitz.* sequitur locum, in quo solo eadem est vox, Jes. III, 6 vertitque domos ruinam minantes, quae tamen *Maur.* bene dicit vix intelligi quomodo in contextu nostro nominentur. Retineamus notionem propriam Jes. III, 6 non minus quam ibi aptam, offensionis, quae proprie ruinis, lapidibus rebusque similibus fit, quod saepius est מִכְשׁוֹל, deinde translate in causam ruinae atque incitamentum ad peccatum abit. Explicatio quaedam est Ezech. XIV, 3 מכשול עון, idola, cultores suos ad defectum a deo incitantia. Idola intelligenda esse praeter v. 4 et 5 inde verisimile est, quod rarissime nomine ipso appellantur, vulgo circumscribuntur, vocibus גלולים, שקוץ al.; prosopopoeia autem offensionibus cum homine atque animalibus conjunctis tributa idolis aptior est, quam omnibus omnino peccatis sceleribusque, quae *Chald.* et *Schm.* comparato Matth. XIII, 41 *συλλέξουσιν πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν* significari putant. — Objectum irae divinae primum apparuit homo, idem et ultimum, ne quis dubitet, quae sit causa perniciei, hominibus torpentibus adeo inopinatae, coram deo tam certae, ut vates versui utrique voce נאם יהוה quasi sigillum imprimat.

v. 2 et 3 secundum explicationem nostram eversione Chaldaeorum vel Romanorum impleti esse non possunt, quare existimaveris nos ad sententiam eorum redactos, qui judicium extremum praedictum esse putant. At Zephaniam simillimum cognovimus Joeli, cuius vestigia infra haud pauca deprehendemus, et quod illic de die Jehovae valet, idem de versibus nostris. Minatio dei omnia auferendi prorsus complebitur judicio extremo, tam gravissimo quam ultimo; sed de futuro hoc judicio jure meritoque dubitaremus, nisi eadem dei justitia quotidie manifesta judiciis gravibus in ultimum illum justitiae actum

realia praeberet vaticinia. Vates igitur, a primis historiae initiis exorsus, ad finem historiae prospiciens, omnem historiae cursum amplexus auditorum animos rebus vitae terrestris minutissimis implicitos ad eam perducit attentionem, qua dei verbis auscultare valeant.

v. 4—18.

Transit vates ad supplicium quod deus de Israelitis sumet, primum v. 4—13 eos, quos poena afficiet, deinde v. 14—18 poenam, qua eos afficiet, nuncians. Ipsos autem puniendos, poena jamjam propius accedente, vituperat, quod a deo defecerunt aliisque, qui re vera non sunt dei, sese dediderunt, quae simul est summa supplicii causa, v. 4—6, deinde peccata in statu politico contra tabulam legis alteram ab iis commissa reprehendit, v. 7—13.

v. 4—6.

v. 4. *Et extendam manum meam super Judam et super omnes incolas Hierosolymorum et excidam ex loco hoc reliquias Baalis, nomen sacrificulorum cum sacerdotibus.* Sicut Michas I post descensum Jehovae, judicis universalis v. 2—4 descriptum, ad populum Israeliticum transit propter eius culpam illa omnia fieri dicens, sicut Jesaias ex judicio universali cp. II in cp. III judicium particulare quasi producit, ita Z. voce וְ ostendit nova jam allatum non iri, sed quae sequantur, antecedentibus contineri iisque certam tantum definitionem adjungere. נטיתי ידי. Extensio manus divinae dicitur, *Calv.* „ubi deus insolitis modis agit praeterque rationem communem; quemadmodum si velim aliquid leve facere, tantum admovebo manum, si autem me accingam ad difficile aliquod opus, majore studio me parabo, extendam etiam brachia.“ Satis diu obtulerat deus manum suam gratiae plenam, vo-

cantem ad poenitentiam, ducturam ad salutem Jes. LXV, 2, — jam gravissima Jesaiae verba V, 25. IX, 11. 20. X, 4 in memoriam revocentur necesse est, iterum inculcentur atque confirmentur. Nominatur יהודה regnum scilicet Judae, duabus tribubus constitutum, et caput eius, Hierosolyma, quae deus ex omnibus orbis terrarum locis sedem sibi elegerat, quorum tamen incolae pietatis, sicut par erat, non modo non exemplum proposuerunt, sed impietatis fastigium. Omnis haec impietas in eo sita erat, quod Jer. V, 7 deo vero, solo, relicto Baalem sequebantur; quare dei ira huius vestigia exscindere omnia constituit. — De שׁאר הבעל cf. introduct. Reliquiae ad ea referendae sunt, quae ulla quadam ratione cum cultu Baalis cohaerent, templa, altaria, idola et quae ad sacrificia, suffitus, pertinent. — Majoris autem momenti sunt peccatores ipsi, quorum duae partes, sacerdotes et populus. Sacerdotes a deo instituti, ut legem docerent et sanctitatem ab omni populo exhibendam repraesentarent, quum peccarent, populo tam hortationes detrectantes, quam exemplo nocentes, summa poena digni primi nominantur, Ezech. IX, 6. Defectus autem a Deo duplex erat, vel is ut Baalis cultus cum Dei cultu conjungeretur et Jehova deus summus, Baal fortasse inferior terrae patronus haberetur, vel is ut Jehova prorsus rejecto idola colerentur; utraque ratio etiam hic perstringitur, quod *Ew.* bene significat. — כמרים leguntur etiam II. Reg. XXIII, 5. Hos. X, 5. Diversas huius vocis derivationes et significationes recenset *Ikenius* in dissertat. philolog. theolog. Lugd. Batav. 1749. Vol. I. dissert. XII. Afferimus duas tantum sententias, alteram *Gesenii,* alteram *Cöllnii. Gesenius* ܟܘܡܪܐ dicit proprie tristitiam, nigredinem esse, unde, sicut أبيل, proprie tristis, sacrorum antistes, ita sit lugens, atra vesti indutus, sacerdos; *Cöllnius* notionem vocis כמר comburendi secutus vim sacerdotis de adolendo thure suffituque solenni, cf.

جمر, derivat, sed caret certo quodam exemplo, quod comburendi vim ad suffitum adhibeat. *Gesenii* contra sententia et usum linguae Arabicae et vulgarem vocis ܟܡܪ notionem sequitur. Est igitur Syris ܟܘܡܪܐ sacerdos quicunque; vocabula autem syriaca ad deorum cultum spectantia ab Hebraeis ad idolorum cultum restringi, docet *Gesen.* Hist. ling. Hebr. pag. 58. Vel paraphrastae Chaldaei idolorum sacerdotes constanter כומרא interpretantur, Jehovae כהן appellant. Descriptionem muneris horum sacerdotum legimus in prima vaticinii nostri impletione II. Reg. XXIII, 5: „Et abolevit (Josias) sacerdotes, quos instituerant reges Judae, ut suffiret quisque eorum in collibus, in urbibus Judae et circa Hierosolyma.“ — Falsis his sacerdotibus adnumerantur הכהנים, qui Jehovae sacerdotes sunt ex usu scripturae sacrae vulgari, siquidem idolorum sacrificuli intelligendi sunt, nexu definitionem indicante. *Maur.* sententiam v. nostri hanc definitionem addere putat; at duplex peccatorum genus etiam v. 5 indicatum suadet, ut sacerdotes cum *Grotio* eos habeamus, qui ex stirpe erant Aaronitica, sed vel clam vel praeter Jehovam idola colebant. Intercedit igitur discrimen inter utrosque sacerdotes, neque opus est *Hitzigii* conjectura כמרים prophetas Baalis explicante. — Utrorumque delebit Jehova שׁם; nomen enim in V. T. est res, quatenus apparet et appellationi causam praebet; deletoque nomine sacerdotum falsorum non modo ipsi excisi sunt, verum etiam omnis impietatis fructus, omnis memoria.

v. 5. *Et prosternentes se in tectis exercitui coeli, et prosternentes se, qui jurant Jehovae jurantque per regem suum.* Constat vatem a sacerdotibus jam ad laicos transire, qui tamen quomodo describantur, interpretes mirum in modum dissentiunt. Plerique v. 5 solum respiciunt et v. 6 annectunt, neglecto omni nexu interno; *Ewaldus* eos conjungit et statuit laicorum genera tria, quorum alii idola

colunt, alii claudicant in duas partes, alii Jehovam aperte contemnunt. Sed non liquet, qua ratione differant primi illi et tertii. Melius eandem partitionem sequimur, quam cum *Ewaldo* in sacerdotibus cognovimus, cui favet *Hitzigii* sententia, prius המִּשְׁתַּחֲוִים utrique generi commune in initio positum esse. Procedit igitur descriptio laicorum prorsus eodem modo, quo sacerdotum; sicut v. 4 reliquiae Baalis et sacrificulis et sacerdotibus communes sunt, ita jam cultus astrorum impiis communis antecedit, et sequuntur prius, qui claudicant in duas partes, deinde v. 6, qui idolis omnino se tradiderunt. Obstat quod *Hitz.* negat ad alterum הַמִּשְׁתַּחֲוִים subaudiri posse „in tectis exercitui coeli“; ratio eius vero non ex nexu sententiarum sed ex ipsius explicatione oritur, quum talibus cultoribus, qui neque Jehovae neque Milkomis sectatores sint, in priore membro aperte non nominatis, repetitio generis adorationis necessaria sit, neque subsidio illo vehementi, quo alterum הַמִּשְׁתַּחֲוִים scribarum errori vindicat, opus sit. Quae quum ita sint, *Maur.* falso *Hitzigium* vituperat, quod utrumque הַנִּשְׁבָּעִים ex antecedente הַמִּשְׁתַּחֲוִים pendere docet; vates enim satis accurate indicat rationem grammaticam, nec copula omissa eo explicatur, quod posita ante posterius הַנִּשְׁבָּעִים vim sententiae magis perspicuam reddat. Praeter copulam etiam אֵת vatis intentionem indicat; ponitur enim, ubi novum genus distinguitur; ponitur in initio v. 5, deinde ubi vates ab generali ad speciale transit, et una voce hemistichium antecedens repetit, deest in duobus participiis ex praecedente pendentibus; ponitur tum v. 6, ubi altera pars incipit, et deest in medio versu, qui secundum hemistichium priori coordinatum affert. Difficultates, quibus *Hitz.* versum laborare dicit, profecto ei non inhaerent, et *Maur.* eas non modo non removet, sed auget. — עַל־הַגַּגּוֹת. Quum Hebraeorum tecta plana essent Deut XXII, 8, in iis

aspectum ad astra apertiorem praebentibus deos colebant, praecipue suffitibus Jer. LXV, 3., Jer. XIX, 13., XXXII, 29.; verum etiam sacrificiis II. Reg. XXIII, 12.; cf. *Bochard.* Hieroz. I., pag. 700. *Theodoret.* ἐπὶ τῶν δωμάτων τὰς θυσίας προςέφερον, ἀκριβέστερον τοὺς κατ' οὐρανὸν φωστῆρας ὁρᾶν ἐφιέμενοι — לצבא השמים Exercitum hunc coeli, cuius appellatio ex Gen. II, 1. derivanda, ne colant Judaei, Deut IV, 19 vetat. Oppositio profecto gravissima, populo postquam Jehova mundi judex descriptus, suos deos proponens Jehovae creaturam. — ואת notionem particulae ו explicativam, quam verterimus: et eos quidem, cf. *Ew.* Gramm. maj. p. 650 sequ. — המשתחוים *Maur.* subaudit sequens Jehovae, at cum constructio, quam proposuimus, simplex repugnat, tum haec definitio astrorum cultui opposita tanti momenti foret, ut omitti non posset. — נשבע constructum cum ב est jurare per aliquem; cum ל jurare alicui, jure jurando se ei obstringere; aptissime posterius vates Jehovae vindicat, cui Judaeus unusquisque obstrictus est, quum cultus ille idolorum accedat tantum, sicut jusjurandum per rem hominemque hinc inde petitum. — מלכם *Hitz.* legit Milkom, sed praeferenda est scriptura Masoretarum appellativa et propter paronomasiam vati nostro adamatam et quod rex ipsorum, quem populi cives sibi elegerunt, bene opponitur Jehovae, qui regum rex foedere suo Judaeos sibi conjunxit. Afferamus postremo versus nostri sententiam secundum *Theodoretum*: ἀπειλεῖ τοίνυν κόλασιν τοῖς κατὰ ταὐτὸν, κατά τε τοῦ ἀληθῶς θεοῦ καὶ κυρίου κατά τε τῶν εἰδώλων ὀμνύουσιν, et verbum Eliae simile I. Reg. XVIII, 21: Quousque claudicatis in duas partes? Si Jehova est deus, hunc sequimini, si vero Baal, hunc sequimini! Deus enim est deus zelotypus et omnis partitio simul est laceratio legitimi cultus, qui totum cor totumque animum flagitat.

v. 6. *Et recedentes a Jehova et eos, qui non quaerunt Jehovam nec investigant eum.* Altera jam pars eorum, qui idola colunt, ii qui prorsus Jehovam reliquerunt; describuntur ratione habita et proprii ipsorum cum Jehova foederis, a quo recesserunt, et status, in quo jam Jehovam non curant amplius. Defectus dicitur הנסוגים מאחרי יהוה recedentes a post tergum Jehovae, non *Grot.* qui preces fundunt aversi a sanctuario, sed ita ut eum non sequantur, quod legibus obtemperando appareret. cf. Jer. I, 4. Hos. I, 2. Inter membra hemistichii alterius interpretes discrimen intercedere putarunt cum *Chald.* דְלָא תבעוּ דחלתא דיי דלא בעוּ מן קדמוֹה, qui non quaerunt timorem Jehovae neque ab eo precibus petunt; at notiones vocum saepissime conjunctarum differre vix videntur. Finitur impietatis increpatio, iis adductis, qui jam omnia pristinae pietatis vestigia exstinxerunt; v. 5 primi afferuntur sacrificuli, quibus sacerdotes tantum adjiciuntur; jam ultimi impii illi, judicii diem festinantius attrahentes; nam profecto ubicunque tantus est Jehovae contemtus, ibi Jehova semetipsum manifestet necesse est.

v. 7—13.

Uno impietatis peccato, aliorum omnium tam peccatorum quam poenarum causa, castigato, alia sequuntur in statu politico contra legis tabulam alteram commissa. Simul vati dies poenae oculis obversatur videtque hostes appropinquantes, in universum v. 7 descriptos, quomodo principes nobilesque v. 8 et 9, quomodo mercatores v. 10 et 11, quomodo divites securos v. 12 et 13 aggrediuntur et ad exitium vocant luctuosum.

v. 7. *Sile coram domino Jehova, nam propinquus est dies Jehovae; nam paravit Jehova sacrificium, sanctificavit vocatos suos.* Pronuntians vates gravissima crimina subito interrumpitur imagine, quae ei diem Jehovae prae-

sentem depingit; attonitus, obmutescens, silentium quodammodo insusurrat populo. — הַס videtur esse interjectio onomatopoetica, qua silere jubetur cf. Hab. II, 20. Sach. II. 17; deinde vel declinatur instar imper. Piel Neh. XIII, 11 estque radix verbi Num. XIII, 30 cf. *Gesenii* Thes. s. v. *Koestero* (die Propheten des A. u. N. Testaments, Leipz. 1838 pag. 111) formulam nostram Habacuco priori propter nexum aptiorem vindicanti *Maur*. jure opponit, ex nexu in vaticinio utroque conclusionem fieri non posse; qui quod Habacucum posteriorem putat, supra rejecimus. Silere populum jubet Z., quoniam coram deo ipso stat facie sua omnia perlustrante, jam irata praesentem se praebente magisque proxime praebituro, כִּי nam propinquus est dies Jehovae. — יוֹם יְהוָה argumentum vaticiniorum Joelis, qui accuratissime eum describit, cf. Joel 1, 15. II, 1. IV, 4 et *Hengstenbergii* Christolog. III, 137 sequ. Est verbis *Cocc.*; „omne tempus, quo deus demonstrat se regem, dominum, judicem; strictiore significatu ille dies, quem omnes prophetae expetiverunt videre, dies apparitionis dei in carne et status ecclesiae N. T. Ideoque dies domini imminens intelligendus est principaliter quidem de adventu Christi in carne cum judicio in incredulos, sed praeterea etiam de anteambulone illius diei proximo. Ita Zephania jam instare dicit praecursorem aliquem et tubicinem diem alium deletione scandalorum et repurgatione per captivitatem Babylonicam facienda. Sic ubi prophetae loquuntur de temporibus post adventum Christi, dies domini est dies judicii novissimus, cui tempora sicut deletionis reipublicae Judaicae, reformationis ecclesiae, tanquam tubae praecedaneae, adventum domini ad regnum universale et ultimum judicium ei connexum denunciantes, describuntur in Apocalypsi.“ Ita aedes coram oculis nostris aedificatur, cuius fundamentum jactum est in dei amore justo nostroque peccato, cui supplicium

quodcunque gratiaeque manifestatio omnis lapidem admovet, cui post universae historiae decursum fastigium imponitur in judicio extremo, damnatione aeterna atque beatitudine aeterna. — Diem hunc domini vates prospicit קָרוֹב, propinquum, etenim propinqua fuit quam *Cocc.* nominat tubam praecedaneam, propinqua captivitas Babylonica, quam annuntiaturus judicii particularis limites haud secus transgreditur ac dominus noster Matth. XXIV judicium ultimum Hierosolymorum eversioni adjunctum dicit propinquum: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται*; haud secus ac apostolos domini verba sequentes atque Hierosolymorum eversionem divinantes, reditum Christi propinquum exspectare oportuit. Et quid tandem aliud nostra aetate multorum fidelium animis persuadet Christi adventum appropinquare, quam quod novam justitiae gratiaeque divinae manifestationem, novam spiritus sancti effusionem praesentimus? Cum Zeph. etiam Jes. XIII, 6 et Obadj. 15; Apoc. XVI, 14 Joelis diem Jehovae respicit. — Propinquus est dies Jehovae, nam paravit sacrificium. *Maur.* vertit זֶבַח caedem, eandemque notionem probat *Gesenius* in Thes. s. v. Sed quae afferuntur exempla vix videntur rata. Jes. XXXIV, 6: „nam erit Jehovae sacrificium in Bosra", non nisi de sacrificio cogitari potest et propter antecedentia, quae ad singulas sacrificiorum partes referenda sunt et propter sequens טֶבַח, quae mera foret tautologia; ex illo loco Jes. noster derivandus, utrumque sequitur Jer. XXVI, 10 et Ezech. XXXIX. 17. Nullus igitur est V. T. locus, qui propriam mactationis notionem retineat, omnes sacrificium flagitant. Sacrificium autem est populus Judaicus. Etenim quum Hebr. IX, 12 *χώρις αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις*, deus in iis, qui semetipsos deo obtulerint, animalium sanguinem, adumbrantem Christi sanguinem vere expiantem, pro san-

guine ipsorum acceptat; at quicunque non sunt voluntarii ad praestandum deo cultum, neque libenter se offerunt quasi spirituales victimas, eos rebelles Jehova trahit ad sacrificium ipsos. Quare *Calv.* bene monet, sacrificii nomine exitium justum fore indicari. — Cum sacrificiis, praecipue שׁלמים epulae conjunctae erant, ad quas qui obtulit victimam, amicos invitavit, nominatos קראים, cf. I. Sam. IX, 13, ut convivio fruentes unitas deo gratias agerent. Ad laetum hunc fructum deus quoque suos invitavit, Chaldaeos dico, quibus faciendum non est sacrificium, afferenda populo clades *(Maur.)*, hoc enim deus ipse jam paravit, sed sicut epulis paratis ita populo eiusque opibus fruendum. De avibus igitur ferisque cadavera devorantibus Ezech. XXXIX, 17 cogitari nequit, cf. Jes. XIII, 3. — הקדישׁ. Epulae illae sacrae fuerunt, quare vocatum quemcunque sanctificari oportuit; Ex. XIX, 14 populus vestes suas lavat, ut inquinamentis omnibus depositis, segregatus a mundo vulgarique peccati statu ad dei epulas accedat. cf. I Sam. XVI, 5. I Cor. XI, 28. 29. Similiter deus hostes, Chaldaeos sanctificat, eligit, suoque muneri adducit cf. Jes. XIII, 3. Jer. XXII, 7. LI, 27. *Theodoretus:* εἰς τοῦτο ἀφωρισμένοι.

Versum nostrum dissentiente *Ewaldo* et *Hitzigio* cum sequentibus conjunximus, etenim primum particula הס vatis respirationem perspicue indicat; deinde v. 2—6 sententiam prorsus finitam continet, quum v. 7 ad diem Jehovae transeat, qui in sequentibus accuratius describitur; tum satis convenienter v. 2—6, ubi res inter deum et populum agitur et defectus a Jehova reprehenditur, deus solus est vindex, jam ubi peccatores status politici ratione habita reprehenduntur, ministri etiam humani afferuntur; v. 7 denique, sicut v. 2 argumentum continuit versuum 3—6, ita argumentum praebet versuum v. 8—18, quum

vocatorum praeda depingatur v. 8—13, propinquitas diei Jehovae inculcetur v. 14—18.

v. 8. *Et fiet die sacrificii Jehovae et animadvertam in principes et filios regis et in omnes, qui induunt vestem peregrinam.* Primi in statu politico vituperantur principes nobilesque, *Calv.* „qui aliis praebuerant errandi causam. Scimus enim omnes eos qui dignitate excellunt, plus multo parare offendiculi, quum ad licentiam peccandi potentia sua abutuntur, hinc fit, ut deus saepe ad eos solos videatur mittere prophetas.“ Qui vitae piae exempla exhibere debebant, ad impietatem seduxerant. — פקד est visitatio dei, si deus omnipraesentiam suam ceterum non nisi fide perspicuam, insolito modo manifestat; estque duplex secundum habitum eius quem visitat, aut gratiae, ubi sequitur vulgo ל vel accus. cf. II, 7, aut irae, ubi sequitur על; hic igitur est animadversio dei in impios. Praecedunt שׂרים II Chron. XXIV, 17. Jerem. XXXVI, 12 post regem totius regni primi dignitate muneris; deinde dignitate stirpis בני המלך, cf. introduct. *Theodoret:* „ἐπειδὴ ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰωσίου τοῦ θεοσεβοῦς βασιλέως ἡ τῆς τιμωρίας ἐξεφέρετο ψῆφος, οὐκ ἦν δὲ τούτοις ὁ βασιλεὺς ὑπεύθυνος, εἰκότως οὐκ εἶπεν ἐκδικήσω ἐπὶ τὸν βασιλέα, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὸν οἶκον τοῦ βασιλέως.“ — הלבשים מלבוש נכרי, quo magis perspicua est sententia loci, eo magis interpretes dissentiunt. Nonnulli notionem alieni tribuentes voci נכרי cogitarunt de vestibus pauperum direptis, vel de pignoribus Ex. XXII, 25. 26, vel de vestibus muliebribus Deut. XXII, 5. Sed נכרי semper est peregrinus, et quae exempla *Gesenius* in Thes. notioni alieni affert, omnia de peregrino intellexeris; quod נכריה sicut זרה de scorto dicitur, non ad feminam alienam sed peregrinam referendum est, quum scorta non Israelitica sed Canaanitica esse proprie supponendum sit. Gen. XXXI, 15. Prov. XX, 16. Eccl.

VI, 2. Hiob XIX, 15. Ps. XIX, 9. Prov. V, 10 prorsus non est, cur vi majori peregrini imminutam illam alieni substituamus. Peregrinorum vestes alii ad habitum idolorum cultui inservientem retulerunt, *Grot.*, sed talis cultus vestigia apud Hebraeos non invenimus. Sunt igitur vestes gentium, vel Aegyptiorum vel Babyloniorum, quos principes, ut excellerent et prae ceteris perspicui essent, luxuriosi imitati sunt, quam vanitatem, non externo tantum habitui inhaerentem, satis vulgarem fuisse probat Ezech. XXIII, 6. 12. 15. Praeter luxuriam et superbiam contemto vestitu genti proprio perspectam sunt qui Judaeis vestes peregrinas eo magis crimini dent, quod et Lev. XIX, 19. Deut. XXII, 11 certa panni genera prorsus vetita sint et *(Albert. Magn.)* Deut. XXII, 12. Num. XV, 38 palliis fimbriae annectendae, in quibus aspiciendis populus Dei recordetur. At fimbriae illae, nunquam in prophetarum libris memoratae, etiam peregrinis vestibus annecti poterant, ut omittam panni genera vetita, quae vel in illis vestibus vitari poterant. Vates non externa illa curarunt, sed ipsis constat, „qualis vestis, talia corda," ipsis vestes peregrinae sunt testes cordis peregrini.

v. 9. *Et animadvertam in omnes transsilientes limen illo die, qui implent domum domini sui violentia et fraude.* הדולג על המפתן *Chald.* vertit כל דמהלכין בנימוסי פלשתאי, id quod interpretes permultos (*Cölln.*) commovit, ut de usu illo I Sam. V, 5 cogitarent, quum Philistaei a calcando templi limine, in quod Dagonis coram arca positi caput manusque dejecta erant, abstinuissent. Sed hunc usum usque ad Josiae aetatem valuisse ne apud Philistaeos quidem probari potest, multo minus Hebraeos eum secutos esse; Jesaiae enim vituperatio II, 6, si quid probaret in universum tantum reprehendens, hunc usum omittens contra eum testaretur. Alii igitur de fastu super-

borum Matth. XXIII, 5 *Corn. a Lap.*, alii *(Cocc.)* de Judaeis templum sine reverentia intrantibus, arrogantibus, ebriis; sed ne dicam idololatriam jam supra objurgatam, quis fastuosus arrogansve transsilierit limen! *Hitzigius* affert Persarum morem, qui palatii regii limen sanctum habitum pedibus calcari peccatum existimaverunt, hosque transilientes eosdem putat, qui antea principes regis limen tangere verentur; at neque fraus cum violentia in Josiae domo exspectanda, neque Josias si qui gentium morem in palatio ipsius sequi conati essent, indulsisset. Comparemus igitur locos alios, quibus דִּלֵּג legitur; II Sam. XXII, 30 et Ps. XVIII, 30 pius dei auxilio hostium muros transilit; Jes. XXXV, 6 claudus salit sicut cervus, Cant. II, 8 vox amati transilit montes. Omnibus his in locis deorum cultus non memoratur, sed saltus est signum roboris atque fiduciae, gaudii prosperique cursus. Quare qui transsiliunt limen, sunt ii, qui, quod audent robore suo prosperoque eventu freti, introitum vulgarem repudiant, insolito more in domos irrumpunt. *Rosenm.* putat eos indicari, qui propriae domus limen transgressi aliena invadant occupentque; sed etsi transgrediantur limen, quam ob rem transsiliant? Etiam non sibi parant opes, sed domini domum implent. Posset esse limen dominorum, ad quos rapina onusti, gaudio pleni reverterentur, at tum redeuntes afferrentur, quos exeuntes non vidimus; et domus domini in secundo hemistichio ita nominatur, ut primum ei oppositum esse videatur. Restat igitur limen oppressorum, quod principum ministri transsiliunt, introitum vi sibi parant, jam furantur in plebis aedibus. Haud abs re contuleris versum illum *Horatii* Od. II, 18: „usque proximos revellis agri terminos et ultra limites clientum salis avarus.“ Ita *Ew. Luth.*: „servi magis opprimunt quam principes ipsi“ et *Calv.*: „ministri principum, qui vexabant crudeliter plebem et

spoliabant miseros homines suis fortunis, qui pares non erant ad resistendum." cf. Mich. II, 1. Jes. V, 8. Sunt igitur ministri tam regis quam principum nobiliumque, quorum reditus colligentes suum commodum promovere simul student, summaque sedulitate dominorum benevolentiam colligere. — Etenim domum אדוניהם implent violentia. Hac voce omnes qui supra Dagonis cultum adhibuerunt, deos indicari putant, vel ita ut *(Cölln.)* ארונים idem explicent ac בעלים, idolorum nomen generale, quod tamen vix usu probatur, vel ita ut vox notione singularis ad v. 5 מלכם respiciat, (*Grambergius,* cuius omiserim opinionem, qua in altero hemistichio Dagon Astartem, in altero ארון idolum Adonidem significet). Nos autem vidimus de rebus civilibus sermonem esse, quare ארון ad dominum, herum referendum. Est vero non pluralis notio, sed singularis, quoniam etiam בית in sing. positum. Deinde cf. *Hengstenb.* Beiträge II, 257 plur. saepe abstractum indicat, ut בעלים, ארונים, quod praecipue cum suff. certo cuidam homini in concreto absolvitur, ita ut nobis dicitur dominatio de hero atque hera, in quibus servo omnis quodammodo dominatio repraesentatur, ut abstractum et concretum in unum idemque ei incidat. cf. *Ew.* gramm. maj. pag. 326 et II Sam. X, 3. II Reg. XIX, 2. — חמס est violentia, injuria cf. Am. III, 10 et מרמה fraus; v. nostro utitur Jer. V, 27. — Describuntur igitur principum ministri, qui rapaces in plebis domos irruunt factaque praeda onusti ad dominos suos revertuntur, quantis opibus tantis criminibus eos obruentes, bene adjuncti v. 8, qui principum luxuriam causam direptionum significat.

v. 10. *Et erit die illo, dictum Jehovae, vox clamoris a porta piscium et ejulatus ab urbe secunda et fractio magna a collibus.* Secundum peccatorum ordinem vates propositurus, diem Jehovae eiusque cladem, quae jam

v. 7 obmutescere eum fecit, adeo appropinquare videt, ut priusquam mercatores divites nominet, hostium impetum prorumpentem depingat. — Auditur vox clamoris a porta הדגים. Constat non nisi de Hierosolymis sermonem esse, quare omittimus eos qui portam piscium habent Acconem, secundam Luz, colles Sephorim, cavitatem Tiberiadem. Portam nostram etiam legimus II Chron. XXXIII, 14. Nehem. III, 3. XII, 39. et *Hieron.* addit: „portam piscium eam vocabant, quae Diospolim ducit et Joppen et vicinior mari erat inter cunctas vias Hierosolymorum.“ Cui sententiae, portam in occidentem vel inter septentrionem et occidentem sitam esse, *Robinson* (Palaestina Halle 1841, II, 118) opponit Neh. III, 3, ubi porta piscium sequitur portam ovium ad orientem spectantem. At si comparas omnia quae *Robins.* de porta putei, de porta equorum atque aquae verisimilia esse dicit, portam piscium septentrionem versus sitam fuisse nescio cur negemus; hoc autem quodammodo *Hieron.* verbis convenit; si tenemus portam Diospolin atque Joppen duxisse, quippe quae via non solum ex situ sed etiam ex soli agrique natura pendens, facile aliquantulum septentrionem versus inclinasse possit. Fuit autem porta urbis inferioris, per quam hostem ex septentrione aggredientem irrumpere oportuit. — Etiam magis turbavit interpretes המשׁנה, altera, secunda, cf. II Reg. XXII, 14. II Chron. XXXIV, 22, ubi Josiae legati ad Huldam prophetissam, in secunda habitantem, ex arce regia descendunt. Neh. XI, 9 urbi secundae עיר משׁנה praefectus constituitur. *Josephus* Antiq. XV. 11, 5 urbem ἄλλην nominat. Omittimus *Chald.* vertentem II Reg. XXII, 14 בית אולפנא domum doctrinae, multasque opiniones ipsum secutas, omittimus *Hitzigii* sententiam, novam urbis partem construentem a *Maurero* refutatam. *Robins.* l. c. pag. 50 hanc urbem secundam, Acram, partem illam Hierosolymorum inferio-

rem, esse demonstrat. In hanc hostes per portam piscium irrumpentes propius accedentes ingredi oportuit. — Opponuntur secundae הגבעות non solum colli uni colles omnes *(Maur.)*, sed etiam colli tam demisso vix ut collis nomine dignus sit, colles illi alti Zion et Moria. — יללה cum antecedente קול conjungatur necesse non est, multo minus שֶׁבֶר, quod *Hitz. Maur.* non fractionis, sed inde derivatam vim fremitus, strepitus habere putant. At שֶׁבֶר semper etiam Jes. XV, 5 est fractio, quae ad nihil aliud, quam ad aedium corruentium fragorem referre licet. Aptissime hostibus praesentibus atque destruentibus cum incolarum ejulatu ex urbe ascendente arcium eversarum miscetur strepitus, impetus furore, exitii calamitate indicata.

v. 11. *Eiulate incolae mortarii, nam deletur omnis populus Cananaeorum, exciduntur omnes onusti argento.* Supplicium divinum universae urbi appropinquans v. 10 depinxerat, sed in lustratione generali pars quaedam omissa est, cuius incolae peccandi sedulitate non ultimi nominatim perstringendi sunt. Sunt incolae מכתש, quod est mortarium, Prov. XXII, 22, deinde cavitas Jud. XV, 19, ubi fons ex cavitate, non ex mortariolo dentium, Simsoni profluit, et quaeritur quod mortarium, quae cavitas intelligenda. *de Wett. Maur.* conferunt Jer. XXI, 13 Hierosolyma nominata העמק vallis, quippe montibus undique cincta, et Jes. XXII, 1 גיא חזיון de Hierosolymis dictum, putantque post partes indicatas singulas vatem urbem universam amplecti. At post plures allatas urbis partes exspectaveris profecto eam, quae inter nominatas posita non minus in censum venit; ad ejulatum qui jam ab inferioris urbis incolis auditur, totius urbis incolae minus convenienter provocantur, quum post calamitatem v. 10 generalem praeteritum, non imperat. exspectaretur; tum „quae additur causa delendi, quod turpis quaestus et commodi causa mercaturam faciant“ *(Maur.)* incolis Hierosolymorum omnibus vix convenerit. Intelligi-

mus igitur partem urbis, et eam depressam quidem, vallem profundam, qualem duplicem deprehendimus unam fonte Siloa alteram torrente Kidron irrigatam. Posteriorem *Chald.* praefert דיחבין בנחלא קדרון, cum eo *Hitzigius,* sed argumenta eius non videntur satisfacere. Auctoritas enim Chaldaei sola, haud raro interpretem seductura, non valet; et quod ad vallem Kidron mercatores, maximam partem ipsos Canaanitas (Sach. XIV, 21) habitare extra urbem putat, partim falsa Canaanitarum explicatione nititur, partim comprobari nequit. Relinquitur igitur vallis fontis Siloae *(Hieron.)* vel melius ea huius vallis pars, quae in urbe ipsa inter superiorem et inferiorem sita fuit, quam *Joseph.* bell. Jud. V, 4, 1 affert *φάραγγα τυροποιῶν*, ubi mercatores habitasse cum nomine tum loci opportunitate conjectura assequimur. Est haec pars in descriptione v. 10 prorsus omissa, jam novo nominato incolarum, eorundem peccatorum generi vocatio ad ejulatum convenit, jam causa exitii his consentanea aliis aliena. *Hitzigius* cum *Eichhornio* et *P. Ewaldo* statuunt simul paronomasiam quandam ad מקדש i. e. Hierosolyma, id quod nostra quoque aetate obvium in nominibus بيت القدس vel القدس, ita ut urbi sanctae opponatur contundenda, cui sententiae, quamvis מקדש in scriptura sacra non de urbe sed de templo dicatur, tamen quum templum a valle haud ita remotum sit, Zephaniae dicendi genus videtur favere. Haud dubie vates nomine ipso sortem mercatorum indicat, ut velut in mortario contundantur, prorsus deleantur. — נדמה. דמה non est similem esse LXX, *Chald.*, sed silere, unde niph. praeter. sicut דמם est ad silentium redigi, exstirpari cf. Obadj. 5. — עם כנען *Hitzigius* vult Canaanitas ipsos, sed de exteris sequens demum caput agit. Plerique igitur interpretes vertunt mercatorem *Grot. Gesen. Cölln.* At vocem כנען prorsus in notionem mercatoris abire, exemplis allatis non efficitur; etenim quum

Canaanitae cum Phoenicibus mercaturam praecipue fecerint, negotiandi vis saepe simul comprehenditur, sed nunquam sola inest. Solent autem prophetae Judaeos vel maxime accusandos eorum nomine vocare, quos insanabiles deus vel excisit vel excidio destinavit, quorum nomen ipsum tam ingenii quam sortis est testis. Ita Jes. I, 10 principes Judaeorum nominantur principes Sodomi, populus Gomorrhae; Ezech. XVI, 3 pater tuus Amoraeus, mater tua Cethaea; ita prae ceteris Canaanitarum nomen Judaeis quantum a dignitate populi dei delapsi sint, ostendit cf. Sach. XIV, 21 et *Hengstenb.* Christol. II, 397; similiter Ezechiel XVII, 4 Babylonem vocat secundum Canaan, eodemque modo omnes loci allati Jes. XXIII, 8. Hos. XII; 8. Hiob XI, 30. Prov. XXXI, 24 certam Canaanitarum indolem respiciunt. Omnis populus Canaan sunt igitur omnes Hierosolymorum incolae, qui Canaanitis animo negotioque pares. Quod imagine significatum, jam sequitur apertum. — נטילי cf. Thren. III, 28 onusti pecunia, praecipue ex mercatura parata. Cognovimus eos, qui primo quoque obtutu in civitate perspicui, peccatores supplicio afficiendi sunt, principes in re publica administranda, mercatores in rebus domesticis comparandis occupatos - reliqui sunt ii, qui rem publicam nulla ex parte attingentes, opibus suis fruuntur.

v. 12. *Et fiet tempore illo, perscrutabor Hierosolyma lucernis et animadvertam in homines coagulatos super faecibus suis, dicentes in corde suo: non benefacit Jehova nec malefacit.* Chaldaei per portam piscium irrumpentes, urbe superiore atque inferiore cum valle eas separante vastantes potiti, omnes qui iis obviam venerunt, interfecerunt — sed deus nondum contentus etiam domos ipsas et incolas secure iis insidentes investigabit. — אחפש בנרות est investigatio accuratissima cf. Luc. XV, 8. *Cyrill.*: ὅσα δρᾶν ἔμελλον οἱ πολέμιοι μανίαις ἀκρά-

τοις χρώμενοι κατὰ τῶν ἑαλωκότων, ταῦτα τῷ ἰδίῳ προςώπῳ προςάπτει θεὸς, οὐχ ὡς αὐτὸς ὢν τῶν οὕτως ἐκτόπων ἐργάτης, ὡς ἐφιεὶς δὲ μᾶλλον κατὰ τῶν ἠσεβηκότων εἶναι τὰ ἐξ ὀργῆς ἐν δίκῃ." Accuratius *Hieron.*: „nullum inultum patietur effugere. Legamus Josephi historiam et ibi reperiemus scriptum, de cloacis quoque et speluncis et antris et sepulcris extractos principes et sacerdotes et potentes, qui se in eis metu mortis absconderant." Occultissimas igitur quasque partes atque latibula deus, cui nox splendet sole ipso illustrius et clarius, visitabit, ut impios poenae maturos colligat, et puniat viros הקפאים על שׁמריהם. Vox קפא notionem habet contrahendi sicut قفّ; cf. Hiob X, 10 de seris, Sach. XIV, 6 de pretiosis comminutis quodammodo coagulatis, Ex. XV, 8 de fluctibus maris coram deo immotis. Nostri loci sententia magis perspicua est ex Jerem. XLVIII, 11. 12, et respiciente eum et explicante: „tranquillus est Moab ex juventute sua et quiescens ipse in faecibus suis neque transfusus ex vase in vas, et in captivitatem non ivit; quamobrem permansit gustus eius in eo et odor eius non mutatus est. Quare .... mittam ei inclinantes, ut inclinent eum et vasa eius evacuent et lagenas eorum diffringant." Vini igitur instar, quod faecibus incumbens valorem retinet, divites voluptatibus suis opibusque secure fruuntur, cf. *Chald.*: „דשלן שׁלוא על נכסיהון, qui tranquillitate fruuntur in divitiis suis." *Hitzigius* tranquillitatem nullis commutationibus turbatam nostro loco inesse negat, sed solum potius animum tranquillum, obstinatum intelligit, ut discedat a Jeremiae interpretatione: at *Maur.* bene ostendit tranquillitatem externam internamque in utroque loco conjungendam esse. Sunt autem faeces peccata, in quibus impii penitus sunt defixi, quae pravitatis suae exitum luctuosum serius ocius adducent. Stupor itaque omnes illorum congela-

tae densaeque massae similium sensus adeo compressit, ut jam neque possint allici dei bonitate neque ullum etiam terrorem concipiant ex minis. Quin etiam dei tollentes providentiam nec bonis bona nec mala malis eum reddere dicunt, sed fortunae cuncta regi arbitrio et casu ferri incerto! האמרים בלבבם cf. Ps. XIV, 1. *Calv*, „Quid est in corde dicere? quamvis scilicet pudor vel metus absterreat homines, ne palam impietatem suam detegant, interea fovent istas cogitationes in corde et constituunt vel non esse deum vel otiosum in caelo quiescere. Jam vero depingitur impietatis cumulus, quum dicantur homines deliciis ebrii spoliare deum judicis officio, Deus enim hoc modo e suo gradu dejicitur; quia nisi agnoscitur judex mundi, qualis erit eius divinitas? Neque enim majestas dei vel imperium vel gloria consistit in aliquo imaginario fulgore, sed in officiis, quae sic in ipsum proprie competunt, ut non possint ab eius essentia avelli. Proprium dei est mundum regere, curam gerere generis humani, deinde discernere inter bonum et malum, miseris opem ferre, ulcisci omnia scelera, compescere injustam violentiam. Haec si quis a deo auferre velit, relinquet duntaxat idolum." Immo hoc ipsum Jes. XLI, 23. Jer. X, 5 indicium certum proponitur, quod idola non sunt dei, nam ne dicam ea neque praeterita neque futura posse revelare, ne faciunt quidem bonum malumve; quod idola prorsus mortua esse demonstrat nihilque ab iis timendum, id impii contra deum mundi judicem in ore habere audent. Nexus inter utrumque locum tam perspicuus est, ut negari nequeat; et quod *Kueperus* l. c. pag. 135 de Jes. et Jer. ratione affert, vel maxime probatur ea ratione, qua Zeph. Jesaiam sequitur; quem Jes. in ampliore idolorum descriptione gradum infimum vocat, eum Zeph. peccatoribus deum contemnentibus vindicat; contrario, Jesaiam Zephanjae verbis alludere, nullum fa-

vet argumentum internum. Hi autem impii, similes sunt Epicuro, qui quum prorsus negare non auderet esse aliquem deum, confessus est deos esse, sed conclusit ipsos in coelo, ut illic fruerentur otio et deliciis. Ab hoc quem dicunt Deismo facilis est via ad atheismum, qui speciosiore deismi nomine haud raro tegitur. Hunc impietatis vocavimus cumulum atque fastigium, nam habitu divitum in primo hemistichio descripto externo, securitate in divitiis, internus, negatio providentiae deique ipsius, non solum tertio huic generi convenit, sed omnium peccatorum v. 8—12 castigatorum causam continet atque eventum, quum obstupefactis conscientiis majore licentia in peccatum praecipitent. Jam igitur siquidem deus est judex mundi, manifestet justitiam suam sicut in fine prioris partis v. 6 necesse est.

v. 13. *Et erunt opes eorum in direptionem et domus eorum in vastitatem; et aedificabunt domos, neque habitabunt, et plantabunt vineas neque bibent vinum earum.* Extensio manus divinae necessaria est — quae tamen justitiae divinae demonstratio praeclarior, quam quod ea ipsa, quae dei lex impiis minatur, quae minas inanes neque vim neque pondus habentes despiciunt, ad verbum eveniunt. Duplex inest legi maledictionis promulgatio gravissima; utramque Zeph. respicit, ut una poena nominata alias omnes simul venturas indicet. Respondet versui antecedenti, cuius primo hemistichio securitatem illam opibus fretam reprehendenti opposita est direptio atque vastatio Lev. XXVI, 32. 33. Deut XXVIII in universum declarata, hic accuratius explicata, negationi providentiae irrita ipsorum opera ex Deut XXVIII, 30. 39; qui locus posterior maledictionem terribilem, nulli vitae Judaicae rationi parcentem, ordine satis perspicuo promulgans, nostra quoque verba haud sine pondere relata, nexu interno adjuncta continet. cf. Am. V, 11 et bene-

dictionem in rebus iisdem propositam Jes. LXV, 21. 22. Am. IX, 14. ובנו ex consecutione temporum praeteritum merum esse nequit, *(Maur.)* quare cum *Hitzigio* et secundum Deut. futurum exactum verterimus; quas aedificaverint domos, non habitabunt.

v. 14—18.

Judaeos supplicio afficiendos esse, satis superque perspectum est; immo deus non esset deus, si impunita ferret scelera. Et profecto dies Jehovae, quem jam v. 7 vidimus appropinquare, gradatim propius accedit, adeo ut v. 14—18 solus oculis nostris obversetur, v. 14—16 diei ipsius descriptio, v. 17 et 18 sors hominibus illo die imminens.

v. 14—16.

v. 14. *Propinquus est dies Jehovae magnus et cito valde, vox diei Jehovae, acerbe clamat ibi heros.* Redit vates ad descriptionem v. 7 inceptam, qua Joelem sequens diem Jehovae depingit, dicitque eum (Joel. II, 11) magnum, quo deus maximam irae suae vim effundet — מהר *Hitzigius* putat esse imper. piel simulque ostendere, posse מ praef. abjici ante primam rad. מ. Sed primum quidem quod negat infinitivum hic locum habere posse, *Maur.* ex notione verbali, quae vocibus: propinquus est, continetur, refutavit; deinde *Ewaldus* gramm. maj. 254 rarissime tantum hoc מ deesse dicit, et quod solum affert exemplum Coh. IV, 2 tempori posteriori vindicandum, explicatione fortasse auferendum est; tum verbi partic. regulare legimus Gen. XLI, 32; postremo ipsam hanc formam saepissime legimus cum verbis conjunctam cf. Ex. XXXII, 8. Deut. IV, 26. VII, 4. XXVII, 20 praecipue in poenis dei festinantibus, quem purum infinitivum in adverbium abiisse docet *Ewaldus* l. c. pag. 631, afferens

exempla השׁכים, הרבה, הרחק. Propinquitatis, festinationis certissimum est signum, quod jam auribus percipitur diei strepitus. קול *Maur.* cum *Gesenio* elliptice existimat breviter dictum pro: vox auditur, sed exempla ab eo allata, praecipue Jes. XIII, 9, quem Zeph. sequi videtur, non tam ellipsi quam vivae vatum descriptioni tribueris, quae rei impetum non sedato dicendi genere sed exclamatione assequi studet. — צרח dicitur de clamore alto, sic Jer. XLII, 13 est clamor Jehovae, egredientis sicut miles bellicosus, victoriam prae se ferens, quem locum *P. Ew.* ita respici putat, ut Jehova sit גבור, quum alii interpretes fere omnes existiment vel viros fortes tanti diei terrore attonitos clamare atque vociferari. At quamvis Jes. XXVII, 1. XXX, 30. LIX, 16. 17. Sach. XIV, 3 et innumeris psalmorum locis deus piorum heros vocatur cf. Ps. XXIV, 8; hic tamen additur מר quod Jes. XXXIII, 7 cum בכה conjunctum, quid clamor ille sibi velit, ostendit. Acerbus enim non est dei clamor, sed eorum, qui supplicii terroribus commoti clamorem edunt desperantis planeque diffidentis. — Vocem שׁם *Hitz. Coelln. Maur.* putant notionem temporalem habere, quae tamen quum nusquam probari possit, sicut ثَمَّ semper est adverbium loci. Ps. XIV, 5 Davides poenam tam certo conspicit, ut quasi digitis eam monstret, Ps. CXXXII, 17 perspicue Zionem respicit, Jud. V, 11 laudibus ipsis locus destinatur, Prov, VIII, 27 in locum creationis transferimur. Omnes hi loci in libris poeticis leguntur, quare usus vocis ex indole orientalium fervida et genere poeseos dramatico explicandus est nec vis quae ei inest gravissima ad arbitrium imminuenda. Primum igitur versus membrum diem Jehovae dicit appropinquare, alterum vates incipit exclamatione, quum strepitus auribus percipiatur, qui propius accedens cognoscitur clamor Jehovae ad vindictam surgentis, quo tantum non audito non modo

ignavi timidique verum etiam fortissimi quique, in summo rerum discrimine pristinae obliti virtutis, sono quasi relato contremiscunt, clamitant, ejulant. Jam adest dies, jam omnes eius terrores apparent.

v. 15. *Dies irae est dies ille, dies angustiarum et afflictionis, dies vastationis et devastationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubium et nebularum.* Statu omnium infelicissimo summeque lamentabili Judaeis proposito ne forte cogitent secum, deum simul clementiae et misericordiae suae memorem fore, quippe quod impoenitentes secure somnient, furoris iraeque hunc diem futurum esse dicit, omni misericordiae spem evertentem, gravissima quaeque adducentem; quae alterum membrum terribilia nominat, omnia irae voci inclusa sunt eiusque furorem impiis inculcant. cf. Jes. IX, 18: „Utitur enim vates tanta verborum fere idem significantium congerie, ut et rei certitudinem confirmet atque inprimis Judaeis timorem incutiat, et omnem adimat excusationem, qua dicere potuissent se non sufficienter esse praemonitos, alias seria emendatione mature deum iratum placare voluisse.“ *Schm.* — צרה ומצוקה angustiae et afflictio, quas voces conjunctas easdem legimus vatis animo forsitan obversatas Job XV, 24; ubi Eliphas impiorum calamitatem sermone illo praeclaro depingit. — שאה ומשואה et ipsum bis in Jobe legitur XXXVIII, 27 et XXX, 3, quo loco posteriore Job miserrimi statum hominis explicat. Nominum duorum ab uno verbo derivatorum geminatio intendit sermonis emphasin reique atrocitatem fortius exprimit., cf. Nah. II, 11 בוקה ומבוקה Ez. II, 14 שממה ומשמה. cf. Jes. X, 3. XLVII, 11. — Sequentia allata sunt ex Joel II, 2 חשך et אפלה synonyma, quorum prius generalius, posterius praecipue crassam densamque caliginem nubium significat. Lux in scriptura sacra indicat salutem atque beatitudinem, tenebrae angustias atque ca-

lamitatem; maxime enim terrifica est facies orbis, dum luce orta sublata lux est et tetris omnia tenebris oppleta; cumque ita accidit, maxima tum dei ira saevire agnoscitur. cf. Am. V, 18. — ענן וערפל nubes et nebulae conjunctae nominantur in apparitione dei, Deut IV, 11 (V, 22), apparuit enim in monte Sinai tantis circumdatus terroribus, ut populus perterritus longinquis illis, quid foedifrago sibi expectandum esset, praesentiret; nunc quod illo tempore deus minatus erat, irrumpit.

v. 16. *Dies tubae et clangoris super urbes munitas et super turres excelsas.* Sonus tubae, יום תרועה, dies clangoris quotannis populo sanctissimum inauguravit mensem septimum, in quo omnia omnium Judaeorum poenitentium peccata expiabantur Lev. XXIII, 24. Num. XXIX, 1—6, tubae sonus atque clangor hostium copias validissimas fugavit, muros fregit, urbes devastavit Jos. VI, 5. 20. — tuba ad solemnia pios vocatura contemta dei contemti iram enuntiat, יום תרועה quondam propitius jam exitiabilis hostilem dei impetum indicat. Est sacrificium clangoris Ps. XXVII, 6, quod quum populus ingratus offerre noluisset, deus ipse parat! Remanet tubae vis irresistibilis — sed quae Judaeis urbes expugnavit, eadem quondam expugnatas destruit. Quaeri possit, utrum tuba haec exercitui hostili tribuatur, an deus ipse tubam canere cogitetur. Verum et v. 15 et v. 17 dilucide deo supplicium adscribitur, quare non est, cur a descriptione deum vindicem exhibente deflectamus, dummodo tenuerimus, deum adduxisse vocatos suos. — הערים הבצרת Hos. VIII, 14 loci sententiam explicat. Deus erat populi propugnaculum nunquam evertendum; populus muris atque munimentis constructis, oblitus est dei, et ecce de quorum firmitate non dubitant, ea clangoris sonu corruunt. cf. Jer. II, 13. — פנות vocat turres in murorum angulis aedificatas. cf. II Chron. XXVI, 15 „Neque enim solebant

veteres ambitum muri directum ducere, ne ad ictum arietis esset dispositus, sed sinuosis anfractibus clausere urbes, crebrioresque turres in ipsis angulis ediderunt, ut si quis ad murum ita constructum vel scalas vel machinas admovere vellet, non solum a fronte sed etiam a lateribus et prope a tergo velut in sinum conclusus opprimi posset, observante Vegetio de re milit. IV, 2.“ *Rosenm.* cf. *Taciti* Histor. V, 11, 5 „Hierosolymorum colles claudebant muri per artem obliqui aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent.“ *Joseph.* bell. Jud. V, 4. 3. Omnia igitur populi propugnacula corruent, ut quod salute donatus credere noluit, calamitate affectus intelligat, deum scilicet esse solum propugnaculum firmum. cf. descriptionem diei Jehovae Jes. II, 12—22 et crebras allusiones novi testamenti, quod in die judicii annuntiando veteris testamenti verbis utens, interpretationis exemplum proponit cf. I Cor. XV, 52. I Thess. IV, 16. et Apoc.

v. 17 et 18.

Diem Jehovae vidimus v. 14 propinquum esse, v. 15 summam calamitatem afferre, et eam quidem v. 16 impetu hostili atque expugnatione minari; jam hominum sors sequitur, quae v. 17 tristissima, v. 18 propulsari prorsus non potest.

v. 17. *Et arctum faciam hominibus et incedent sicut caeci, quod in Jehovam peccarunt, et effundetur sanguis eorum sicut pulvis et cibus (viscera) eorum sicut stercora.* Impetum hostilem v. 16 annunciatum Judaei facile transferebant in hostes terrenos; eam ob causam deus confirmat, se fore praecipuum belli ducem, patefacturum virtutem suam ludibrio habitam. Respicit vates igitur iterum ad legem eiusque poenas. Arctum faciet secundum Deut. XXVIII, 52: „et arctum tibi faciet in omnibus portis tuis,

donec ceciderint moenia tua alta et munimenta, in quibus fiduciam ponis in omni terra tua, et arctum tibi faciet in omnibus portis tuis in terra tua, quam dedit tibi Jehova deus tuus." Allusio v. 16 et 17 ad Deut. est manifesta. Nexus autem in Deut. est necessarius, quum expugnationis descriptio magis magisque procedat, latiusque explicetur, id quod Zephania uno tangens verbo in memoriam revocat. Deinde quod incedent sicut caeci, minus certo intelligitur, adeo ut *Hitzigius* recurrat ad tenebras v. 15 satis remotas, nisi comparamus locum fundamentalem Deut. XXVIII, 29: „percutiet te Jehova amentia et caecitate et perturbatione animi et palpabis meridie sicut palpat caecus in caligine neque prospere perficies vias tuas." cf. Jes. LIX, 10. Caecitas eorum interna, quam voluerunt, adducet externam, quam nolunt; deus enim, si quos iratus trahit ad poenas, mentem iis auferre solet, ut furentes in clades suas ruant. Exemplorum sufficiat unus Pharao. Errores eiusmodi in consiliis sunt poenae peccatorum praecedentium; amittit enim lumen mentis, qui lumen dei odit; in errorum tenebras incidit, qui peccatorum errores diligit. Jam sentimus vim vocis כי gravissime commoventem; nihil aliud factum est, quam quod deus minatus erat, et quod populus nisi aures obstruxisset, debuisset audire et propulsare studuisset. Eligendi facultas erat data, sed sorti electae condicio certa; Judaei adeo peccarunt, ut vel providentiam negarent, quae eadem est dei negatio; jam qui deum coelis incluserunt, adeo inclusi sunt, ut nullus appareat exitus; qui providentiam negarunt, caeci nihil vident. Sed deus in extremam ignominiam eos tradet; sanguis eorum effundetur כעפר, sicut pulvis, qui in comparationibus saepissime adhibitus, duplicem habet significationem vel copiae maximae. cf. Gen. XIII, 16. Ps. LXVIII, 27 vel vilitatis cf. Reg. XIII, 7. Jes. XLIX, 23. CXIII, 7; quo-

rum prior et propter imaginem sequentem et propter notionem sanguinis, cui in uno quodam homine, singuli enim jam puniuntur, multitudinis imago minus convenit, est rejicienda, posterior igitur conditionis vilissimae contemptissimae praevalet. — לחמם praeter nostrum locum non nisi Job. XX, 23 legitur: deus pluvia demittat super eum cibum eius; vox sicut לחם est cibus, interpretes vero propter sanguinem praecedentem carnem exigunt, quare interpretantur *Cölln. Gesen. Ew. Hitz. Maur.* carnem, comparantes Arabicum لَحْمٌ, لحوم, carnem, *Ewaldus* addens vocem proprie esse succum, inde carnem. Sed analogia Arabica nullius momenti est, si notio vocis hebraea adest, quae sensum praebeat. Et hic quidem cibi notio aptissima est. Vates enim intelligit viscera II Sam. XX, 10 *(Hitz.)*, quae sanguini bene opponuntur, in quibus effusionis notio, carni aliena, locum habet; aeque ac *de Wettius* vertit: digestum eorum, cf. Ps. LXXIX, 3. *Chald. Hieron. Theodoret.* minus accurate interpretantur cadavera. Ezech. IV, 12 cibum fore sicut stercora, respici nequit, quum sanguine jam profuso de cibo, quo impii vescantur, sermo non sit. Judicium divinum atque supplicium summa populum pernicie exstinguit, quum non modo in angustiis versentur, non modo vita priventur, verum etiam occisionis genus sit foedissimum et turpissimum.

v. 18. *Neque argentum eorum neque aurum eorum poterit liberare eos die irae Jehovae et igne zeli eius consumetur tota terra, nam consummatum, omnino exitium repentinum faciet cum omnibus incolis terrae.* Licet alias auro argentoque hostes haud raro ut hominibus parcant commoveantur, hoc tamen die hostium furor tantus erit, ut non divitiarum solum rationem sint habituri, sed in incolarum vitas atque corpora acerbissime saevituri. cf. Jes. XIII, 17, 18; quod deus illic Chaldaeis exitii certissimum indicat indicium,

idem Zeph. Judaeis ipsis per Chaldaeos, Jehovae ministros, futurum esse minatur. Causa, cur non sit locus redemtioni et argentum inutile habeatur in eo posita est, quod deus iram suam effundet, reconciliandus si ipsi resipuerint et humiliati fuerint coram ipso. Totam hanc versus partem Judaeis ad verbum inculcat Ezech. VII, 19. Quod saepius indicavimus, vatem foedus Jehovae cum Israelitis ictum eiusque in Pentateucho monumenta respicere, ipse adjungit minis finem impositurus, quum ignem zeli Jehovae memoret. Jehova enim cum populo suo, vero integroque ductus amore, matrimonium iniit, deditque ei cum jure matrimonii, amore scilicet et tutela, eiusdem officium, amorem et obsequium; quare similis marito, peccatum ulciscenti uxoris, quam si non amaret, impune adulterari pateretur, deus quo dulciore atque blandiore, eo magis sollicito atque zelotypo flagrans amore, et totum cor sibi postulans soli, adulterium vel minimum omniscius cognoscit, damnat, punit. Ex. XX, 5, Deut. V, 9 proposuit Jehova foederis condiciones; at Deut. XXXII, 21. 22 Moses totum regni divini cursum amplectens vidit etiam hoc foedus ruptum: „ipsi zelotypiam meam concitarunt per non deum et ego zelotypiam eorum concitabo per non populum, nam ignis accensus est ira mea, et consumet terram." Ignem nominat zelum Jehovae Deut. IV, 24, quod quemadmodum ignis omnia quae corripit, ligna, arbores, silvas, domos, integras urbes consumit, et in cineres redigit, vix ut vestigium eorum maneat reliquum, ita Jehovae zelus omnem populi infidelis terram consumet et vastabit. Quod foedus dei atque matrimonium cum populo suo ex Pentateucho per totam scripturam sacram fundamentum tam poenarum quam salutis haberi, testatur finis ipse Apocalypseos; et ignem zeli infideles atque impios devoraturum, in aeternum cruciaturum, demonstrat interitus ille II Petr. III, 10, quo

terra et quae sunt in ea opera exurentur, demonstrat Matth. XXV, 41 ignis perpetuus diabolo paratus eiusque angelis, recepturus eos, qui sunt a sinistra domini [1]). — Dies domini, exitium ut propulsari non possit, sequitur ex rerum terrestrium vilitate deique ira omnem terram consumente; nam illae rejiciantur, haec devoret necesse est, quum post longam dei indulgentiam poenas differentem, ad poenitentiam vocantem, jam postremo consummatum Judaeis adducat. כלה semper est fem. adj. כלה, non substant. sed abstracte intelligendum, consummatum aliquid cf. Jes. X, 23. XXVIII, 22, quos locos respici apparet. — נבהלה et ipsum fem. part. niph. cf. Jes. LXV, 23 a rad. בהל niph. perterritum esse, trepidare ex periculo festinante, unde exitium quodammodo perterritum, festinans. — את cf. Jer. XLVI, 28. Ezech. XI, 13. XX, 17. *Maur.* ex Jer. V, 18 bene demonstrat interpretandum esse cum; conjungitur illic v. 18 עשה cum את notione cum,

---

1) Locum nostrum interpretes respici putant Hebr. X, 27; quem versum de peccato in spiritum sanctum agere docent. Cui peccato quum vulgo locos Matth. XII, 31. Marc. III, 28. Luc. XII, 10. I Joh. V, 16. Hebr. VI, 4. X, 26 vindicent, quod quo jure fiat nostrum non est examinare, *Nitzschius* in systemate, ed. quarta, 1839, pag. 273 fundamentum in V. T. institutionibus quaerendum esse ea qua est ingenii sagacitate merito contendit, at Lev. XXIV, 16 proposito eius minus videtur convenire. cf. *Hengstenb.* Beiträge II, 223. Verumtamen Hebr. X, 26 vel ad verbum respicit Num. XV, 27. 30. Etenim sacrificiis V. T. non nisi ea peccata conciliabantur, quae בשגגה, ἀκουσίως committebantur; peccata ביד רמה, ἑκουσίως commissa morte ipsa puniebantur, dicebatur excisa ea anima ex populo, quoniam interna ex populo exclusio jam aperta, eadem externe supplicio manifestanda erat. Eandem et peccati culpam et poenam docent omnes N. T. loci de peccato, quod dicitur in spiritum sanctum, irremissibili agentes; eadem igitur est veteris et novi testamenti de peccato non remittendo doctrina. cf. explicationem praeclaram in *Bährii* Symbolik des mos. Cult. II, p. 387 sequ. Ex hac comparatione intelligitur, quid sit Hebr. X, 26: „non amplius pro peccatis relinquitur sacrificium.“

deinde v. 19 huic substituitur ל et את est notio accusativi. In fine totius minationis, quae post introductionem universalem v. 2 et 3, inde a versu 4—18 populi Israelitici peccantis poenam descripsit, collocantur ii, qui Dei zelotypiam provocarunt, impii terrae Israeliticae incolae, qui terram inter omnes orbis terrarum terras electam, ut sit dei sedes, sedem fecerunt non gratiae atque salutis, sed justitiae atque exitii.

CAPUT II.

Minas dei vidimus non solum ex justitia eius verum etiam ex amore proficisci; verbo enim contra homines fulminat, ut manus suas ab iis abstineat; quare quo asperius deus objurgat et peccata in medium producit, eo clarius testatur, quam pretiosa sit ei et cara hominum salus; exaudit enim vera resipiscentia tactos ad misericordiam eius confugientes; qui est reprehensionum et minarum finis. Sequitur igitur minas cohortatio v. 1—3, cui argumentum satis grave additur excidium gentibus decretum, continens simul Judaeis resipiscentibus salutis promissionem, v. 4—15.

v. 1—3.

Admonitio totum populum respiciens duo eius genera discernat necesse est; unum Judaeorum contumacium et ab omni verae pietatis studio alienorum v. 1 et 2, alterum eorum, in quibus nonnullae pietatis emicabant scintillulae, v. 3. Illos a cursu pietatis aberrantes revocat, hos in eodem cursu provocat; illos excitat, hos incitat.

v. 1. *Colligite vos, colligite, gens non desiderans.* Pauca v. nostri verba multum interpretibus negotii exhibuerunt. Profecti a propria vocum notione etiam alias obvia, et explicationem veram inveniemus et de aliis interpretationibus permultis judicium faciemus. קשׁשׁ legi-

tur et explicatur Ex. V, 7, praecipue v. 12, Pharao Israelitis vetat paleam dari, ipsi colligant stipulam paleae. Sicut autem קַשׁ semper est stipula, nunquam palea, quam *Gesenius* Job. XIII, 25, ubi folio dissipato stipula arefacta bene opponitur, Jes. XL, 24, ubi stipula melius turbine aufertur quam palea, Jes. XLI, 24 ubi eadem velocitatis notio stipulam Jes. XL, 24 respicit, accipiendam esse vix suo jure docuerit, sicut igitur קַשׁ semper est stipula, ita interpretes existimant קֹשֵׁשׁ in locis illis de collectione difficili, accurata atque diligenti, vel minima quaeque, ceterum neglecta investigante usurpari eandemque nostro quoque loco convenire, quum qui semetipsum accurate colligat et quae primo obtutu occulta remaneant, investiget, descendat in semetipsum vitamque suam sincere examinet. Cui explicationi *Hitz.* et *Maur.* objiciunt, solam sui scrutationem non sufficere ad avertendam poenam divinam; sed vera scrutatio, non modo peccatorum ramos amputans, sed omnes radicum fibras evellens, excitat poenitentiam quae quo modo viam muniat, qua deus concilietur, probat dominus noster dicens: μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν Matth. III, 2, et prophetarum loci innumeri ad poenitentiam provocantes. Sed aliud argumentum explicationi illi repugnat. Legimus enim vocem nostram Num. XV, 32. 33. de viro die sabbati ligna colligente, aeque ac I Reg. XVII, 10. 12. de vidua cum Elia colloquente, duo ligna se sibi colligere dicente. Quae exempla si comparamus cum Arab. قشّ, pura colligendi notione usitato, verisimillimum est קֹשֵׁשׁ non denominativum esse a קַשׁ, sed קַשׁ a verbo derivandum, tanquam id, in quod colligendi notio praecipue cadat. Monetur igitur populus, ut colligat semetipsum, animum scilicet mundi voluptatibus huc illuc distractum atque sensus diductos; cf. vernaculae nostrae linguae: „sammelt euch." Bene comparat ad hunc

vocis קֹשֵׁשׁ usum Rosenm. ἐξακανθίζειν Cic. ad Attic. VI, 6. Veteres autem interpretes fere omnes, LXX, *Chald. Syr. Hieron. Theodoretus, Lowthius, Cöllnius* propriam colligendi vim ita adhibent, ut populus semetipsum colligens congregetur ad festum poenitentiae celebrandum, ad preces deo fundendas; at Joel. II, 16 quem sequuntur explicationi vim afferre non potest; comparatum Arabum قشّ ne Arabibus quidem illa congregandi notione satis usitatum; ipsam denique concionem religiosam, si significata esset, vates profecto velut Joel I, 14. II, 15, apertius indicasset. Etiam minus probanda est *Hitzigii* opinio. Profectus enim a voce قشّ, quae est colligere simulque bonum habitum recipere, comparat אסף Lev. XIII, 2. Num. XII, 14 notione sanandi usurpatum; at Num. XII, 14 non de habitu bono recepto sed de aegroto propter lepram ex hominum societate excluso, jam in eandem recepto sermo est, quod nihil facit ad nostrum locum. Contra ipsius opinionem non minus quam *Ewaldi*, qui קֹשֵׁשׁ ut syr. ܩܫ arab. قشّ canum, pallidum, קַשׁ proprie senectute canescens, deinde stipulam, ita pallescere vertit, et *Maureri*, qui Arab. قاس comparans, incurvandi, animos demittendi notionem invenit, ille nobis canon diligenter tuendus est, vocis significationem ex dialectis derivari non licere, si adest Hebraea. Ipsae enim hae opiniones alia aliunde auxilia advocantes, quantum interpretis arbitrio pateat, ostendunt. — Idem valet de altera voce simplici quidem sed maxime vexata. כסף Ps. XVII, 12. Job. XIV, 15 legitur notione desiderandi, quae sola nostro quoque loco exhibenda; *Hieron. Herwigius* vertunt igitur gens non desiderata, sc. a deo, non amabilis; at Gen. XXXI, 30. Ps. LXXXIV, 3 docent, Niphal eandem quam Kal retinere notionem activam desiderandi, cui *Drus. Tarn. Mich.*, cum LXX ἔθνος

ἀπαίδευτον, subaudiunt legem ellipsi non satis indicata. Veram explicationem *Calv.* affert, quamvis ipse eam non sibi vindicet, populum scilicet carere omni affectu et quasi obduruisse ad immanem socordiam. Quale desiderium proprie postulandum sit, quum ex nexu sententiarum cf. I, 18. I, 6 et II, 3 appareat, neque addendum erat neque est subaudiendum. Vates enim etiam iis, qui summo libidinum desiderio flagrant, objicere potest, eos non desiderare. Quo magis opprobrium est generale, eo gravius. Interpretes gravissimam hanc vituperationem missam facientes, ellipsin statuere nolentes, iterum ex dialectis novam voci notionem tribuerunt pallescendi *Gesen. Ew. Hitz. Maur.*, derivatam ab Arab. خسف vel كسف, defectu solis lunaeve, unde etiam כסף a pallore sit dictum, eumque pallorem aut pudoris esse existimant *Gesen. Eichh. Cölln.*, aut terroris *Hitz.* Sed quantumvis explicationes illae testentur virorum doctorum acumen, tamen melius veriusque nitimur canone nostro supra exposito. Admonet igitur vates gentem גוי — generali utitur populi notione, quum cp. I proprio Israelitarum nomine, quippe quo dei sint populus, עם, eam non amplius dignam esse demonstraverit — admonet eam igitur, quae habitu suo externo atque interno contenta secura non desiderat, ut colligat se; animus enim mundi voluptatum quantum licet arripiens, conscientiae morsus verum hominis desiderium nunquam non significantes sopit; quare opus est, ut recipiat se vagantesque sensus ex mundi finibus colligat, collectos in deum dirigat. cf. Jes. I, 16. Vis cohortationis augetur addito וָקוֹשׁוּ, quod secundum nostram interpretationem ad alios referri non potest, sicut ii statuunt, qui sui ipsius scrutationem aliorum scrutationem sequi putant, sed notionem verbi urgendam esse demonstrat cf. *Ewaldi* gramm. maj. pag. 636 et exempla Hab. I, 5. Jes. XXIX, 9. Insigne documentum gratiae divinae in-

defessae, gentem non desiderantem electione sua prosequentis.

v. 2. *Priusquam pariat decretum, sicut gluma irruat dies; priusquam veniat super vos ardor irae Jehovae, priusquam veniat super vos dies irae Jehovae.* Quae sit ratio, cur sit adeo exacte et cito agenda poenitentia, vates prius comparationibus describit, deinde utrique sententiam simplicem adjicit, (*Michaelis, Cöllnius, Ewaldus*). חק non est (*Cölln.*) tempus constitutum, tempus poenae, sed decretum dei severum, quod concepit, quod לדת pariet eventum, decreti filium; etenim sicut foetus latet in utero et suo tempore emergit in lucem, ita quamvis jam occultet deus vindictam suam, tempore tamen opportuno eam proferet, ubi viderit desperatam hominum malitiam; et sicut mulier gravida facta non eadem statim hora foetum in lucem edit, ita deus decretam jam poenam non protinus infert, sed ut peccatores poenitentiam agendi tempus atque occasionem habeant, differt eam. Membrum v. sequens multum interpretibus difficultatis attulit. Sed ut nostram primum proferamus et probemus sententiam, quod versum incipit בטרם etiam verbo עבר subaudiendum est; cui non repugnat praeter. loco futuri infra sequentis cf. *Ew.* Gramm. min. ed. sec. §. 616 et 621, et exempla illic allata satis multa, verbi causa Jes. XIII, 10. XVIII, 5. Mich. II, 4. Sach. IX, 15. XIII, 9. praecipue Gen. XXI, 14 et I Sam. VI, 12. — עבר dicitur non solum de transeundo verum etiam de irruendo, cf. Neh. III, 19. — כמוץ. Similitudinis sensus apparet ex Jes. XXIX, 5; nihil enim velocius gluma turbine acta; quamvis igitur cunctetur judicium, Judaei tamen in mentem sibi revocent, propinquum exitii diem, Deo jubente velociter, velocissime advolaturum. — יום in cp. praecedente v. 7. 14. 15, nostroque v. ipso de die judicii usurpatum hic quoque aliam notionem habere non potest, nisi

firmissima opponantur argumenta; quod *Eichh. Thein. de Wettius, Hitzigius, Maurer* interpretantur tempus in universum vel tempus gratiae praesens, ne usu quidem linguae probatur. Explicationi nostrae *Maurer* objicit, quum in sequentibus denuo dicatur: priusquam veniat cet., non propinquitatem illius ipsius temporis, sed brevitatem temporis interjecti descriptam exspectari; quae tamen exspectatio ex neglecto v. nostri nexu orta est. Deinde glumae imaginem de eo adhiberi dicit, quod cito fugiat, non de eo quod cito irruat, sed partim notio ipsa fugiendi velocitatem, quae hic sola urgetur, complectitur, partim Jes. XXIX, 5 hostes glumae instar irruentes afferens, contrarium demonstrat. Ita perfacilis currit oratio. Alii יום tempus interpretantes vertunt: sicut gluma transit tempus, quod in parenthesi interpositum; sed ut omittam usum vocis יום supra rejectum, parenthesis talis sententiam illam satis vulgarem satisque notam, post ea quae antecedunt, satis languidam orationi nostrae summo impetu atque furore ductae adjiciens vix statuenda est. Multo magis aberrant veteres *Hieron.* „priusquam pariat iussio quasi pulverem transeuntem diem," ubi יום a verbo regente לדת vocibus interjectis nimis remotum est, aliique ad arbitrium vel conjungentes voces vel subaudientes quod deesse videatur. — Jam vero transeamus ad alterum hemistichium, quod priore comparatione descriptum, idem simpliciter continens. Priori: priusquam pariat decretum jam respondet: priusquam veniat ardor irae Jehovae. — לא repetitur negatio, quae particulae בטרם inest, ut admonitio vatis eo fortius graviusque inculcetur cf. v. 5 et Ex. XIV, 11. II Reg. I, 3. Jer. X, 6. — חרון אף ardor irae cf. Num. XXV, 4. XXXII, 14. Ardor irae Jehovae apparet estque manifestus die illo gravissimo irae, qui membro priori definitionem addit aeque ac in hemistichio priore dies irruens est filius decreti. Repetitio eorundem

verborum atque quae dicitur anaphora non inanis est aut otiosa, sed singularem habet vim ad percellendos animos, ut quia adhuc aliquid temporis superest, diligentem eius rationem habeant, ne eo praetermisso omnem spem gratiae consequendae amittant; nam si impii secure abutuntur dei patientia, fit tandem ut poena et supplicia horrendo quodam partu erumpant; testes sunt primi mundi incolae diluvio deleti Gen. VII, 11; testes Pharao atque Aegyptii contemtis minis atque cohortationibus in mare rubrum praecipitati, testes denique Judaei ipsi supplicia, excidia, vastationes, ignominiam experti. Certus est unicuique tam populo quam homini, populo enim perinde ac universo generi humano eadem quae hominibus singulis sors cecidit, certus constitutus est gratiae modus, quo si quis non utitur gratiae non amplius est locus, sed justitia justissima vice sua fungitur.

v. 3. *Quaerite Jehovam, omnes mansueti terrae, qui judicium eius operantur, quaerite justum, quaerite mansuetudinem, si forte abscondamini die irae Jehovae.* Vates haud ignorans populi indolem atque malitiam, quamvis pauci dicto audiant, populum tamen totum poenitentiam non acturum, exitium igitur appropinquaturum esse intelligit, et alloquitur illos qui segregati a peccatôrum turba deum colunt, ἐκλογήν. Regnum enim dei nunquam adeo a rege suo defecit, ut nemo inveniretur vere pius; unde apparet deum vivum esse spiritumque suum divinum effundere. Ita per universam tam veteris quam novi testamenti historiam sanctum quoddam justorum semen, occultum quidem saepissime atque oculo humano vix conspicuum, servatur quondam erupturum in triumphante domini regno illustre, solatium dubitanti sicut Eliae I Reg. XIX, 18 a Deo ipso praebitum. Parva haec piorum manus judicia dei justa declinare et propulsare nequit, quare post admonitionem v. 1 et 2 excitantem, etiam atque etiam

insistentem de populo universo sermo non amplius est, sed pios remanentes in fide deus umbra alarum suarum protegit, et ex summae vastationis ruinis Pellam quandam eos ducit, ubi securi atque intacti audiunt quidem excidii fragorem, sed laeti fruuntur fidei refugio. — עַנְוֵי הָאָרֶץ sunt mansueti terrae, non miseri atque afflicti cf. *Hengstenb.* Christol. II, 126 ad Sach. IX, 9. cf. Num. XII, 3. Mansuetudo talis erga deum apparens, quum in quocunque rerum statu collocentur mansueti humiliter acquiescant, atque in deo fiduciam ponant, erga proximum, quum infirmitatibus atque offensionibus facile condonent, nec par pari referant, immo maleficia benefactis pensent — haec mansuetudo humiliter incedens, propter mundi ferocitatem atque violentiam afflictam sortita condicionem, Deo cordi est, ut mansuetos ex tota terra Ps. LXXVI, 10. Jes. XI, 14 sibi colligat, etenim *μακάριοι οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν.* Matth. V, 5. — Accuratius describuntur, quum operentur מִשְׁפָּטוֹ, jus Jehovae, cf. Jes. XLII, 4 et LI, 4 cum voce תּוֹרָה conjunctum; sicut in Pentateucho saepissime de legibus singulis in plurali ponitur cf. Ex. XXI, 1. Deut. IV, 1. VII, 4. 12, ita magis ad ea, quae in certa quadam re atque condicione justa sunt sive recta, תּוֹרָה magis ad complexum legis universum respicit. Hos igitur mansuetos admonet, ut quaerant Jehovam, id quod allocutioni videtur contradicere; sed quum nunquam profecto eveniat, ut officio suo satisfaciat quisquam, quum qui deum quaerit, tamen peccato non careat, vates fideles hortatur ut non modo progrediantur, verum tanquam ab initio denuo incipiant. Praeceptum enim deum quaerendi, quod neglectum cp. I, 6 summum cognovimus impietatis fastigium, idem omnes simul poenitentiae partes complectitur, quum et prima desiderii salutem expetentis scintillula quaerat deum, et quo quis majore studio eum quaerat, eo inde

majorem majestatis eius atque gloriae cognitionem assequatur; quantum enim quaeris, tantum invenies, et quo tempore deum quaerere desinis, eodem amittes eum. — v. 2 anaphora maximi ponderis periculum esse in mora ostenderat, jam anaphora haud negligenda ad pietatis studium hortatur; et illa quidem hortationem simplici, causam triplici sermone proponens, quoniam impii terrore excitandi sunt, atque exitium appropinquare vates animo praesentit; haec cohortationem haud irritam triplici, causam necessario sequentem simplici sermone afferens. Iterumque posteriora anaphorae membra explicant quod priore eius membro continetur; quaeritur enim deus quaerenda justitia et mansuetudine. — צדק *Ewaldus* gramm. maj. pag. 313 discrimen, quod intercedit inter צדק et צדקה, ita constituit, ut illud habeat tantum notionem verbi forma substantivi, rectum, justum esse, *τὸ δίκαιον*, quare conjungitur cum substantivo antecedente, definitionem ei addens cf. Deut. XVI, 18. XXXIII, 19. Ps. XXIII, 3, hoc צדקה sit purum abstractum, habitum justi significans. Nostro loco צדק fere idem esse ac צדקה demonstrat abstractum ענוה additum. Aptissime autem quaerere jubentur צדק, quum supra facere dicantur מִשְׁפָּט, illa enim est justitia subjectiva, haec objectiva, qua vitam nostram regente illam assequimur. cf. Deut. XVI, 20. Jes. LI, 1. Matth. VI, 33. — Additur id, quod praemium piis exspectetur אוּלַי cf. Ex. XXXII, 30. Am. V, 15. — סתר quomodo deus protegat cf. Ps. XXII, 6. 7. XXVII, 5. XXXII, 7. Offendit dubitatio salutis eorum, qui Deum implorant. Significat autem I Petr. IV, 16 assiduitate atque vigilantia opus esse a parte hominum peccatorum ad impetrandam a Deo gratiam, ne ea, quam deus omnibus paraverat salutem, ipsi quoque priventur.

v. 4 — 15.

Sequuntur vaticinia contra populos exteros, quae interpretes nonnulli, etiam *Bertholdtius* a praecedentibus adeo segregant, ut prorsus novam vaticiniorum partem incipere existiment. At primum quidem quae huc usque interpretati sumus, solam increpationem atque cohortationem continent, quum nulli prophetarum vaticinio tertia desit promissio, deinde certum quendam nexum כִּי indicat, quem negligere nullo modo licet, alii autem aliter exponunt. *Corn. a Lap.* Judaeorum judicium putat tantum fore, ut propter ipsos etiam vicini vastandi sint eoque magis Judaeis timendum; id quod peccatis vicinorum ipsorum vituperatis rejicitur; *Grot.* tantum fore judicium, ut omnibus circum locis ab hoste captis effugia sint difficillima; verum quae sequuntur minationes atque promissiones plus indicant quam rationem hanc minutam pusillamque; *Hieron.* tantum fore judicium, ut vel potentissimae Philistaeorum urbes resistere non possint-quae opiniones nihil afferunt, nisi periculi magnitudinem Cap. I satis superque descriptam. *Calv.* consolationem invenit, quum vindicta dei temporalis contra Judaeos, jam transeat ad exteros; at a Judaeis quoque infidelibus poena nunquam recedet. Melius *Tarn.* videt exemplo impoenitentes doceri sapere. Ea est enim prophetarum consuetudo, ut Judaeos eo magis territuri, dei judicia contra exteros jam decreta, jam non amplius effugienda proponant, Judaeis siquidem non resipiscant, idem imminere vel propter dona gratiae uberius iis oblata supplicia graviora instare, exemplo probantes. Quam sententiam probat Amos. Descripta enim I, 2 ira Jehovae, primum gentilium, quorum peccata in Israelitas recenset, poenas affert, deinde ad Israelitas ipsos transit, ut gentilium, quibus lux gratiae divinae minus clara fulsit, quorum peccata in deum minus aperte ipsis revelatum adeo pu-

niuntur, ut eorum dico exemplo discant, quid sibi, in quorum medio deus sedem suam collocavit, quos ipse sibi elegit, expectandum sit poenarum. Omnia igitur haec vaticinia contra exteras gentes non solum diei Jehovae atrocitatem annuntiant, verum etiam descriptionem in Cap. I. terribilem haud injuria nostro capite terribiliorem esse docent. cf. *Hengstenbergii* Christolog. III, pag. 197—201. Verum enimvero propheta, quamvis puniturus et minaturus, tamen iterum Amoso similis, promissione prorsus abstinere non potest, cernimusque solis candorem paucis tantum radiis v. 7. 9. 10. 11 densam nubium caliginem perrumpentem. Supplicia igitur dei in exteros exercenda et ipsa ex notione theocratiae regnique divini profluunt, quod vates alii alia ratione indicant, verbi causa Joel ethnicos puniendos in valle templo proxima congregat, ut judex templo insidens sententiam ferat. Quae eadem sors quum omnes tangat exteros, singuli ex iis nominantur, ut certo exemplo, quod in omnes cadat, confirment. Zephania sententiam hanc universalem indicans, qua omnes omnium regionum coeli populos amplectatur (v. 11) unum populum Judaeis vel maxime propinquum vel prae ceteris timendum ex una quaque regione coeli eligit, quod animadvertimus ex nominato septentrione v. 13, eumque puniendum atque Judaeorum saluti inserviturum esse docet. Orditur ab iis, qui ipsis proximi; finem imponunt ii, qui tristissima nuper Judaeos clade affecerunt poenaque gravissima digni habentur. v. 4—7 Philistaei occidentem versus, v. 8—11 Ammonitae et Moabitae orientem versus, v. 12 Aethiopes ad meridiem, v. 13—15 Assyrii septentrionales.

v. 4—7.

Initium faciunt Philistaei, maxime populo dei vicini simulque infesti, oram maris mediterranei habitantes in-

ter Ekron et Aegyptum Jos. XIII, 3. Philistaei orti sunt Gen. X, 14 ex כסלחים, qui ex Aegyptiis exierunt. Casluchim sunt Colchii, qui coloni Aegyptiorum afferuntur *Herod.* II, 104 ad Pontum Euxinum Euronotum versus spectantes. Cui sententiae repugnare videtur, quod Deut. II, 23. Am. IX, 7. Jer. XLVII, 4 Philistaei ex Caphtore oriundi dicuntur, quare interpretes plerique Gen. X, 14 vocum translationem statuunt; cf. *Tuchii* comment. ad locum; at talis translatio, cuius exempla frustra quaerimus, admittenda vix est. Jam vero Caphtor secundum LXX *Chald. Syr.* est Cappadocia pontica, quae Jer. XLVII, 4 אי nominari potest, quoniam אי est non solum insula sed etiam ora maritima, quam sententiam fusius probat *Bochartus* Phaleg pag. 290. Apud recentiores autem ea invaluit sententia, quam argumentis praecipue confirmavit *Bertheau* (zur Geschichte der Israeliten, Göttingen 1842 pag. 188 sequ.), secundum quam Caphtor sit Creta. At argumentis eius veterum testimonia non videntur everti. Etenim et *Tacitus* Hist. V, 2: „Judaeos, Creta insula profugos, novissima Lybiae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis", et *Stephanus Byzantinus* s. v. *Γάζα*, ad quem conferas *Bocharti* Phaleg. pag. 423, fabularum indolem tam aperte prae se ferunt, vix ut in censum veniant; relinquitur igitur solum argumentum ex nomine כרתים repetitum Cretensibus simili; cuius auctoritatem bene refutavit *Michaelis* Spicileg. geogr. ext. I, pag. 278—308. כרתים enim idem fere significat ac פלשתים, quod a פלשׁ aethiop. migrare, peregrinari, incertis sedibus vagari, derivandum, originem Philistaeorum externam indicat; כרתים autem sunt excisi, extorres, idemque quod Philistaeorum nomen significant. Videtur igitur primitus nomen Cretim alterum Philistaeorum fuisse, quod postea secundum I Sam. XXX, 14 in certam Philistaeorum familiam abiit.

Quae quum ita sint, vocem hanc solam non putamus demonstrare, Caphtor esse Cretam, atque veterum sententiam retinemus, ex qua Caphtor est Cappadocia pontica, Colchiis vicina; quo facto stabilitum est, quod scriptura sacra indicat, Casluchim et Caphtorim conjunctos misisse Philistaeos colonos, intrantes in fines eos, quos Avim occupatos tenebant.

Commemorandus est alius vocis Cretim usus, quum II Sam. VIII, 18. XV, 18. XX, 7. 23. I Reg. I, 38. 44. I Chron. XVIII, 17 afferantur Davidis satellites כְּרֵתִי וּפְלֵתִי, quorum explicationes varias recenset, ipse conjecturam nimis alte repetitam commendans, *Ikenius* l. c. Vol. I. dissert. IX. *Ewaldus* gramm. maj. pag. 297 utrumque nomen gentile habet, ita ut פלתי contractum sit ex פְּלִשְׁתִּים. Sed neque haec contractio ulla ratione probari potest, neque nomini familiae nomen gentis universae in satellitibus appellandis additum esse veri simile est. Melius igitur alii comparant aliud satellitum nomen כרי ורצים II Reg. XI, 4. 19; quos eosdem esse satellites II Sam. XX, 23 indicare videtur, ubi Chethibh legit הכרי והפלתי, alterum nomen ex priore, alterum ex posteriore appellatione petens. Quam secuti analogiam alii omni ad Philistaeos relatione, quam praeterea Davidis custodiae alienam putant, rejecta, כרתי explicant carnifices, confossores, פלתי, cf. Num. XVI, 1. I Chron. II, 33 ac פלט fugere, فلت celerem, cursorem, interpretantur cursores. At offenderet sine dubio, Davidem satellitibus suis nomen dedisse etiam genti vicinae proprium, nulla inter utrosque ratione intercedente. Quam ob rem primi Davidis satellites, sicut II Sam. XV, 18 Gathaei eum sequuntur, videntur ex superata Cretaeorum gente fuisse; quorum nomen postea, cum pauci tantum satellites ex gente illa essent atque nomen gentile olim aptum jam custodiae non amplius conveniret, inflexione satis facili a sensu vocis proprie passivo

ad notionem activam carnificum ducente, cum appellatione aptiore כרי commutatum est. Propriam hanc vocis vim e memoria non excessisse, probat Zephania hanc ipsam ob causam Philistaeos Cretim vocans, ut sit nomen et omen; id quod dilucide apparet ex Ezech. XXV, 16 הכרתי את כרתים, qui nostrum locum respiciens epexegesin quandam affert, eleganti paronomasia sorte eorum pronunciata.

Philistaeorum Jos. XIII, 3 nominantur quinque regna Gaza, Aschdod, Ekron, Aschkalon et Gath, quae continua cum Judaeis bella gesserunt, mox his mox illis victoribus. Vates eam ob causam Philistaeis prae ceteris poenam divinam annuntiant cf. Jes. XIV, 28—32. Amos. I, 7. 8. Amosum Zeph. sequitur quatuor tantum urbes nominans, omissa Gath, cuius rei causam vix indagaveris. Etenim quod *Coellnius* putat, Gath sub Judaeorum ditione fuisse, difficultatem vincit quidem, sed argumentis ipsius non satis est demonstratum, nam II Chron. XXVI, 6. 7 etiam Aschdod dicitur ab Usia expugnatum; II Reg. XVIII, 8 Gath ne nominatur quidem; Mich. I, 10 Gath Judaeis subjectum fuisse necessario colligi non potest, quum etiam hostium urbs terminus indicari possit, unde poena irruat; immo Am. VI, 2 huic sententiae repugnare videtur. Demonstratum igitur non est, Gath in Judaeorum remansisse ditione, tamen vel hac ratione causam urbis omissae conjicimus, vel vates labante fortasse vel inclinata Gathis fortuna exempla tantum propositurus has quatuor urbes sufficere existimavit. Ordo minationis is est, ut primum singulae civitatis partes increpentur, v. 4, deinde universae civitati exitium annuncietur v. 5, tum futurus exitii status describatur v. 6, postremo Judaeorum inde commodum proponatur v. 7.

v. 4. *Nam Gaza derelicta erit et Ascalon vastitas, Aschdod meridie expellent eam et Ekron eradicabitur.*

Orditur Zephanja a maxima urbium Philistaeorum, deinde progreditur septentrionem versus. Gaza in fine Philistaeorum Gen. X, 19 Euronotum versus sita, tribui Judae dispertiebatur Jos. XV, 37, quae Jud. I, 18 ea potitur; at III, 3 civitas iterum libera nominatur suique juris remanet I Sam. VI, 17. II Reg. XVIII, 8. Descriptionem urbis et geographicam et historicam accuratissimam dat *Robins.* l. c. II, 638—645. cf. *Joh. Frid. Burscheri* dissert. de Gaza derelicta futura. Lips. 1768, 4, qua ut uterer mihi non contigit. Alexander magnus quinque menses eam oppugnavit, captae viros interfecit, cf. *Arriani* Exp. Alex. II, 26; *καὶ ἀπέθανον πάντες μαχόμενοι, ὡς ἕκαστοι ἐτάχθησαν· παῖδας δὲ καὶ γυναῖκας ἐξηνδραπόδισεν αὐτῶν Ἀλέξανδρος· τὴν πόλιν δὲ συνοικίσας ἐκ τῶν περιοίκων, ἐχρῆτο ὅσα φρούρια ἐς τὸν πόλεμον.* Postea Alexander Jannaeus prorsus eam destruxit, per anni tempus obsidione clausam; Gabinius Romanus eam renovavit *Joseph.* Ant. XIII, 13. 3. XIV, 5. 3; Judaeorum deinde, Gessio Flore proconsule, eversio totam urbem tetigisse non videtur, quum posthac florentissima afferatur. Cui tamen sententiae repugnat Act. VIII, 26: *αὕτη ἐστὶν ἔρημος,* ubi pronomen *αὕτη* cum *Robinsone* ad viam quae Gazam ducat, vix potest referri. Verum quum constet, veteris urbis locum vastum fuisse, veri similis est explicatio *Stierii* (Andeutungen über gläubiges Schriftverständniss, Leipz. 1829, III, pag. 269), qui Lucam de Jesaiae vaticiniis acturum existimat viam sibi munire, vaticinia contra Gazam impleta esse monstrantem. Castellum enim vel mons, in quo urbs antiqua sita fuit, vastus est, quum in planitie floreat غزة quindecim millia incolarum continens. — אשקלון cf. *Robins.* l. c. pag. 629 ad mare sita, adeo vastata est, vix ut aliae terrae ruinae tam triste praebeant spectaculum. — אשדוד cf. *Robins.* l. c. pag. 629 Azoti ubi Da-

gonis cultus viguit, arca foederis in templo Dagonis constituta erat I Sam. V, 1—5; Salomo eam subegit I Reg. IV, 24, Usias rebellem recuperavit II Chron. XXVI, 6; posthac in libertatem vindicatam Psammetichus post viginti novem oppugnationis annos expugnat *Herod.* II, 157. Jonathan Maccabaeus eam funditus evertit I Macc. X, 84. Jam اسدود, Esdud, est pagus parvus, in cuius vicinia ruinae feruntur non inveniri; etenim בצהרים יגרשוה. Meridie eam expelli ita explicatur, ut invasio fiat aperta vi, claro die, in omnium conspectu, quum homines soleant vigiles esse; artificiosius enim quam verius putant esse eam diei partem, qua impetus hostilis minime expectetur, quippe quo tempore ob nimiam illis in regionibus aestus vehementiam somno indulgeant II Sam. IV, 5, nec milites libenter impetum faciant. cf. Jer. XV, 8; „adducam super eos vastatorem meridie, faciam ut irruat in eam repente“ cf. VI, 4. 5; eodem sensu, quo aliis locis impetus nocturni mentionem faciunt cf. Jes. XV, 1. Est igitur invasio hostis validissimi inopinata, gravissima. — עקרון Baalsebulis sedes, in quam arca foederis Azoto portata I Sam. V, 7—10, remansit semper sub ditione Philistaeorum. Jonathan donum eam accepit ab Alexandro Bala, Syrorum rege. *Euseb.* in onomast. affert: ἡ καί ἐστι νῦν κώμη μεγίστη Ἰουδαίων Ἀκκάρων λεγομένη ἀνάμεσον Ἀζώτου καὶ ἀνάμεσον τῆς ἀνατολῆς. — תעקר quae urbs arboribus eradicatis constructa erat, eadem eradicata destruetur. Eadem haec oppida cf. Jer. XXV, 20 exitio destinata.

v. 5. *Vae incolis tractus maritimi, populo Cretaeorum, verbum Jehovae super vos, Canaan, terra [Philistaeorum, et perdam te, ut non sit incola.* Ne quosdam ex Philistaeis exemisse videatur vates, cum quatuor tantum civitates nominaverit, nunc porro toti genti judicium

gravissimum denunciat, in quo poenae magnitudo indicatur interjectione הוֹי. — חֶבֶל semper est funis, funiculus, quo utebantur in dimetiendis et dividendis agris, unde quod cui distributum est, dicitur funis eius cf. Jos. XVII, 5. Ps. XVI, 6. Deut. XXXII, 9. Duplex, quam *Ewaldus* statuit, notio orae maritimae atque possessionis separanda non est. Eandem regionem Jerem. XLVII, 7. Ezech. XXV, 16 appellat חוֹף הַיָּם. — כְּרֵתִים cf. supra. Quod nomen gentis prae se fert, hoc jam ipsi accidet. — דְּבַר יְהוָה *Maur.* bene monet non ad sequentia referenda esse, quasi dicatur: hoc est verbum domini seq., perdam, quum copula in voce וְהַאֲבַדְתִּיךְ renitatur; eadem vero ipsius sententiam refutat, docentem verba interposita tantum esse veluti נְאֻם יְהוָה; copula enim ostendit esse propositionem separatam, dei verbum venturum super eos, quod quale sit ex praecedente הוֹי apparet, et Jehovam perditurum esse populum. — כְּנַעַן amplectitur etiam Philistaeos Jos. XIII, 3 et Num. XIII, 29. Utitur hoc nomine, ut ipsorum, qui Canaanitarum habebant mentem, condicionem atque sortem significet; gentes enim terrae fertilissimae, lacte et melle fluentis incolas, propter nefaria scelera Lev. XVIII, 25. 28 terra evomet omnesque perdentur Deut. VII, 17 sequ., Israelitis terram cessuri. — מֵאֵין non est duplex negatio, sed secundum locos vatis animo obversantes Jes. V, 9. VI, 11 מִן causae, ut vertendum sit, perdam te, vastam te faciam, quoniam non est incola, atque vastatio inde appareat, quod incolae deficiunt terrae, cuius incolas initium v. increpat. cf. Jer. IV, 7. XXVI, 9.

v. 6. *Et erit tractus maritimus pascua effossionis pastorum et caularum ovium.* Versus proximus vastitatem annunciaverat, jam terram mutatam conspicimus. Ora enim illa maritima, tunc portubus et mercatorum frequentia celebris ac clara, urbium atque arcium munitio-

nibus firma, palatiorum structuris magnifica, hortorum apparatu amoenissima, ita vastatur, ut sit prorsus deserta, et si qui illic invenientur homines, erunt tantum pastores vagi, quippe qui in regione incolis vacua, qua neque serunt neque metunt, pascua inveniant gregibus suis locumque caulis collocandis. — והיתה fem. neque inde explicandum, quod חבל sit hoc loco fem. generis (*Gesenius*, *Ewaldus*), quia semper est masc., neque quod construatur cum praedicato remoto (*Maur.*), sed est constructio ad sensum, cum vates pergat de eadem terra agere, quam in fine v. 5 gen. fem. nominaverat, et חבל quodammodo epexegeseos loco additum sit. — נות derivandum a נוה Job. VIII, 6, quod idem ac נָוֶה vel sedes est atque habitatio hominum vel pascuum, in quo greges requiescunt, cf. Jes. LXV, 10. Hic ubi de terra vastanda agitur est pascuum. — כרת multis conjecturis locum dedit. Vocem ipsam legimus II Reg. VI, 23 notione epularum, quas *Maur.* retinet, vertens: pascua, epulae pastorum et septa ovium, quum epulae pastorum sint epulae gregum, quos pascunt pastores; at quamvis II Reg. comiter nos invitet ad hunc epularum usum, tamen nunquam profecto pastores his contenti fuerint epulis, nunquam vates pascua ita descripserit. Deinde minus apte terra ipsa nominatur caulae ovium, quum non terra ipsa in caulas mutanda sit, sed caulae in terra erigendae, quare נות cum utrisque conjungendum est, et caulis ovium et כרת pastorum, suntque pascua, in quibus et pastores et oves locum suum habent. Alii autem voci כֵּרָה, intelligentes epulas nexui nullo modo convenire, aliam notionem tribuunt *Gesen.*, *Win.* cisternarum, derivatam ex usu verbi Gen. XXVI, 25 de puteo dicti; at primum huic usui exempla non afferuntur, deinde non apparet, cur cisternae nominentur pastorum, quippe quae non pastoribus solum, sed etiam

ovibus prosint. *Hitzigius* igitur aliam quaerens radicem idem esse vult quod כרים Ps. LXV, 14 a כר Jes. XXX, 23, quod terminationem fem. assumat propter praecedens נות, at *Maur.* monet tum in stat. constr. כָּרוֹת cum Kamez necessario scribendum fuisse, deinde vel ex *Hitzigii* constructione minus accurata, prata pastorum et caulae ovium quomodo opposita sint, vix apparet. *Ewaldus* denuo ad radicem Arabicam confugit وَكْرٌ nidum avium, inde יכר et כָּרָה esse mobiles pastorum domos, quae caulis avium opponantur; sensus ei aptissimus inde prodiit, sed vocis explicatio, vel radix ipsa usui linguae Hebraicae aliena. Veri simillima est veterum sententia, etiam *Coellnio* et *Rosenm.* accepta, כרת esse infin. nominascentem, cuius exempla affert *Ewaldus* gramm. min. pag. 221. כרה autem non modo de puteis effodiendis verum etiam de foveis Job VI, 27 insidiisque struendis dicitur, quare effodisse existimamus pastores tuguriola et casas subterraneas, ubi contra solis aestum se tegunt cf. *Bocharti* Hieroz. I. II, 44. Ita *Hieron.*: erit funiculus maris requies pastorum et caulae pecorum, atque *Chald.* בית מישרי רעין locus mansionis pastorum. Formam כרת ideo electam esse facile nobis persuademus, quod paronomasia oritur cum voce כרתים, quum extorribus illis simulque excisoribus excisis excidantur jam tuguriola ex terrae solo.

v. 7. *Et erit tractus reliquiis domus Judae, in iis pascentur; in domibus Askalonis vespere recubabunt, quia visitabit eos Jehova deus ipsorum et revertetur ad captivitatem eorum.* Ex poena hac Philistaeis inferenda, improbi populi Judaici cives futurae suae calamitatis gustum capiant, pii vero solatium inde percipiant, quum hostium fines vastati electo Jehovae gregi tribuantur. — חבל, articulo non munitum, non est subjectum, quod ex

v. 6 subaudiendum, sed praedicatum; erit tractus reliquiis funiculo quodammodo distributus ipsarum sors atque possessio cf. Jos. XVII, 14. XIX, 9. — לשארית Reliquiae hae consolatione laetissima implent fidelium, mansuetorum, dubitantium v. 3, animos, remansurum aliquod semen, unde deus excitet novam ecclesiam, Jehovam populi sui non esse oblitum, sed parata jam dona gratiae post breve angustiarum tempus piis impertienda. — ירעון inflexione concinna vates a gregibus ovium, summae testibus vastitatis, ad eum transit gregem, quem Jehova sibi collegit, collectam fovet, eumque innuit statum, quem prophetae atque psalmi laetissimum depingunt, cum magno desiderio exspectatum, ubi deus pascet populum suum. — עליהם in pascuis illis; plur. neutraliter accipiendus *(Hitz. Maur.)*, fortasse etiam propter הבל vatis animo obversans. *Ewaldus* cur et quomodo בקר subaudiendum putet vix intelligitur, oves enim non modo mane pascuntur, sed totum diem, et oppositio non est temporis matutini atque vespertini, quae nihil ad rem faceret, sed diei noctisque. Pascentur igitur reliquiae, et בערב, quando tenebrae et terror jubent se recipere, oves dei caulas intrant domos Askalonis, quae aliorum urbium simili clade affectarum similem amplectitur sortem. — Sed quomodo potest populus, igne zeli divini consumendus, secure pascuis frui, unde subita haec conversio? כי Deus enim post visitationem irae jam visitat populum gratia sua, cognovit reliquias suas fideles et Jehovam se esse, hoc est ipsorum deum, haud immemor, redit ad captivitatem populi sui, qui angustiis commotus didicit ad Deum suum redeundum esse. — Verba שב שבותם sicut similia omnia, nituntur fundamentali illo loco Deut. XXX, 3, promittente, si populus summis calamitatibus affectus, in exilium missus, rediverit ad deum suum, obsecutus praeceptis eius, tum Jehovam rediturum ad captivitatem ipsorum ipsosque

collecturum. Vocem שׁוּב sicut nusquam, ita neque in Deut. neque omnibus locis inde derivandis, vim habere transitivam, sed intransitivam, demonstrat *Hengstenbergius* Beiträge z. Einl. ins A. T. II, 104; eodemque loco ostendit שְׁבוּת non esse abstractum captivorum sed statum captivitatis. Interpretaturis igitur locum nostrum, recurrendum est ad vaticinium illud Israelitarum animis quasi insculptum; Dei reditus postulat populi reditum praecedentem ostenditque admonitionem v. 1—3 non fuisse irritam; Dei reditus est reditus omnipotentis, qui quos cognovit et quibus adest, eos eripit ex condicione, quam ipse noluerat, illi voluerant, ducitque quantumvis dispersos atque afflictos ad salutem eam, quam voluntas divina universo non modo populo verum etiam hominum generi parare studet. Ita Dei reditus in medio positus est inter populi poenitentiam quae necessario praecedit, et populi salutem, quae sequatur necesse est; ita vates unam illam vocem ex Deut. afferens, totum conversionis ordinem ostendit.

Vaticinium nostrum, recipiens Jesaiae XIV, 28—32, in Assyriorum invasione primo quidem sensu repletum, idem novam praeparat impletionem, quae Jer. XXV, 20. XLVII, 4—7. Ezech. XXV, 16. 17. denuo inculcatur et quam in Chaldaeorum invasione, quamvis certa desint scripturae sacrae indicia, qua maxima facta est violentia, eventum habuisse jure existimamus; at vero quae illo tempore perinde ac in Judaeorum clade atque restauratione verborum terrores non sunt assecuta, ea secundum id quod in Gazae historia memoravimus, Alexander Magnus, ea Alexander Jannaeus ita implevit, ut vel nostra aetate ruinarum moles sint veritatis testes. Regnum autem dei Philistaeorum fines complexum esse, demonstrant Maccabaeorum, Alexandri Jannaei victoriae, demonstrant denique quo summus dei ad populum suum reditus nos transfert,

apostoli evangelii praedicatione Philistaeorum fines implentes. cf. Act. VIII, 26. 40.

v. 8—11.

Philistaeos sequuntur Moabitae atque Ammonitae, Judaeis ad orientem vergentes. Utrique originem duxerunt Gen. XIX, 37 ex incesto filiorum Lothi cum patre concubitu, quo quidem ortu populi posthac dignos se praebuerunt. Cum ortu situs, mores, fata iis eadem sunt, quare vates eos conjungit.

Moabitae secundum Gen. XIV, 5. Deut. II, 11 versus orientem maris mortui sedes habentes, ab Israelitis ex Aegypto profectis, mandato divino obstrictis, nullo modo laesi sunt, at jam Num. XXII ipsi Israelitarum victoriis perterriti auxilium contra eos quaerunt, postea Jud. III, 12. 20 vel subigunt Israelitas, quos Ehud a ditione Moabitarum liberat. Ex quo tempore continua inter utrosque bella gesta sunt, quae quo magis voluntatem dei in primo congressu revelatam migrarunt, eo graviorem poenam promeruerunt. Inde crebra contra eos vatum effata, exorsa a Bileami vaticinio Num. XXIV, 17, quod resonat Am. II, 1—3. Jes. XV et XVI. Jer. XLVIII, de quibus cf. *Kueperum* l. c. p. 83—98, qui locum Jesaiae vindicatum bene defendit fundamentalem esse, et Ezech. XXV, 8. 9. A Zephania apparet Jesaiam, praecipue Jes. XVI, 6, respici, ita ut medius collocandus sit inter Jesaiam et Jeremiam.

Ammonitae orientem versus a Moabitis spectantes, et ipsi ab Israelitis intacti, affinitatem cum Moabitis praetendunt eorumque causam acturi Israelitis Jud. X, 9. XI, 12 bellum inferunt; invadentes ipsos Saul I Sam. XI, 1—15 vincit; Davides II Sam. X—XII eos clade afficit; postea Josaphat II Chron. XX et Jotham II Chron. XXVII, 5 bella cum iis gerunt. Judaeis a Nebucadnezare victis infensos se praestitisse videntur, immo reduces ex exilio

quominus Hierosolymorum moenia construant, impedire conantur Neh. IV, 1. Et hae quidem iniuriae non modo ex vulgari populorum vicinorum invidia atque odio proficiscebantur, sed ex causa multo graviore. Etenim quod alii prophetae significant, praecipue Amos, hoc Zephania perspicue pronuntiat, scilicet crimina gentium exterarum puniri, quoniam non contra Israelitas Palaestinae incolas, sed contra Israelitas electum dei populum, atque simul contra eum revelationis divinae gradum, quem deus ad gentes pervenire decreverat, commissa erant. Crimina in Jehovam exercituum perpetrata Jehovam punire oportuit. Et quae in his populis poenae causa addita est, eandem in Philistaeis, Cuschaeis, Assyriis docemur quamvis verbis non expressam tamen adesse; judicium igitur contra gentes non minus est theocraticum, quam judicium contra Israelitas, et quod notavimus ad v. 4 de notione vocis כִּי, id etiam magis apparet confirmatum. Inimicitiae igitur Ammonitarum dignae profecto sunt Dei ira, multis vaticiniis promulgata, Am. I, 13—15, quem a Zephania respici videbimus, Jer. XLIX, qui et ipse Amoso alludit, (cf. *Kueperum* l. c. pag. 98—100) et Ezech. XXV, 1—7.

Annuntiatur his duobus populis vindicta Jehovae, ita ut causam poenae vel culpam vates indicet v. 8, poenam ipsam describat v. 9, utrumque profundius repetens causam illam ostendat retributionem exigere v. 10, postremo omnis poenae finem significet, ut colant et ipsi Jehovam.

v. 8. *Audivi probrum Moabitarum et convicia Ammonitarum, quae exprobrarunt populo meo et fastuose egerunt contra fines ipsorum.* Moabitae et Ammonitae quaestum et lucrum fecerunt ex populi miseri cladibus, ipsi nunquam laesi sive lacessiti, unde pii sine dubio saepe secum reputarunt, Deum surdum abesse nec respicere ignominiam populi, etenim deus justissimus peccata cognita inulta remittere non potest. Huic dubitationi, cui

status gentium securus causam satis firmam praebere videbatur, deus opponit: שָׁמַעְתִּי; deum enim non vatem loqui, apparet. ex v. 9, et concludimus ex Jes. XVI, 6, ubi deus insidens tribunali suo judiciali crimina populi percepit. Eadem haec descriptio ampla in verbis his de Moabitis pronunciandis, in quibus alterum respexisse alterum dubitari vix potest, Jesaiam priorem fuisse nobis persuadet; illic enim auditio haec est in actu forensi depicto parva tantum pars, Zephania uno hoc verbo ad judicium illud dei recurrit, et quod rebus populorum secundis refutatum videtur, id iterum inculcat, impletum iri repetit. Pio autem sufficit, deum audivisse atque nosse convicia, deum, qui dixit Deut. XXXII, 35 neque potest quin fidem praestet: „mihi ultio, ego rependam.“ — חרפת. Interpretes certum quoddam conviciorum tempus quaerunt, quare alii cum *Hieronymo* cogitant de Chaldaeorum invasione, quibuscum populi ambo conjuncti, II Reg. XXIV, 2, vastaverint Judam et conculcato sanctuario cum subjugatum populum Israelis blasphemaverint tum deum eius, qui quam sit infirmus eaque, quam sibi vindicet, majestate indignus iam luce clarius appareat, perinde ac Obadja Edomitis ob hoc peccatum ab ipsis committendum poenam divinam promulgat. Sed non est, cur quod in Obadjae vaticinio apertius significatur captivitatis tempus, quum Zephania peccata futura non indicet, ex nostro arbitrio definiamus. Alii igitur futuras has calumnias vitantes requiescunt in iis contumeliis, quibus gentes illae affecerant incolas regni decem tribuum, captivos ab Assyriis deductos. At quod vates finibus non circumscribit, id interpretemur sine restrictione ulla de contumeliis, quas populi securi contra Israelitas haud raro afflictos saepissime profecto protulerunt. Restrictionem posterioris temporis rationibus adaptatam dat Ezech. XXV, 3. — אשר cum veteribus et *Ewaldo* contra *Maur.* cum גדפי

et חרפה conjungimus, quibus adduntur contumelia affecti; quae conjunctio verbi cum substantivo vel substantivi cum verbo Hebraeis, sicut etiam Graecis adamata est. — ויגדילו על גבולם. Horum verborum sensum bene explicat *Hitzigius*. הגדיל enim, proprie magnum facere, deinde superbire, fastuose agere, legitur Ps. XXXV, 26. XXXVIII, 17. Jer. XLVIII, 42, atque similiter Obad. 12. Ezech. XXXV, 13. Vocis גבולם suffixum ad עם referendum est, quod quum sit collectivum, facile cum plur. conjungitur; cogitatur autem non tam de Israelitarum finibus occupandis, quam est iterum prosopopoeia quaedam; fines enim ii sunt, contra quos gentes illae surgunt conviciantes atque superbientes; sublata imagine fastus ille apparet, si fines Israelitarum aggrediuntur conanturque invasiones. Cui explicationi favet Amos I, 13 ipsi huic populo objiciens הרחיב את גבולם; quod Ex. XXXIV, 24 deus populo suo pio promiserat dominus terrae, hoc Ammonitae nullo sibi jure vindicantes, extenderunt terminos ipsorum. *Maur.* bene ostendit, neque parallelismum, neque v. 10, ubi peccata ore atque opere commissa breviter colliguntur, repugnare, quum incursiones hostiles et prodierint ex contemtu populi et ignominiam afferant iis, in quorum fines suscipiuntur. Quod studium fines proferendi Ammonitis et Moabitis proprium fuisse, demonstrant vatum minae, Amosi, Jeremiae, Ezechielis, demonstrat historia creberrimas eorum invasiones tradens. cf. *Theodorum Mops.* *ἑώρων, ἃ ἔλεγον τοῖς ἐμοῖς ὀνειδίζοντες, ὡς οὐδὲν ἐκ τῆς ἐμῆς ὠφελουμένοις θεραπείας, ὅσα τε αὐτοῖς κατὰ τὴν δύναμιν τὴν οἰκεῖαν ἐπῆγον κακὰ, ὥςτε καὶ μεθ᾽ ὑπερβαλλούσης τῆς μεγαλαυχίας τῶν ὁρίων ἐφάπτεσθαι τῶν ἐμῶν, ὡςὰν αὐτοῖς προςήκειν ὀφειλόντων λοιπόν.* Deus vero populo suo, non sine pondere עמי nominato, Deut. XXXII, 8 possessionem assignaverat; terminos ab eo praefixos re-

vellendo, bellum non contra Israelitas gesserunt, sed contra deum eiusque decretum aeternum. Ecce rationem cur Deum audivisse sufficiat, ut ira eius incendatur!

v. 9. *Quapropter, ita vivam, dictum Jehovae exercituum, dei Israelis, ut Moab erit Sodomae instar et Ammonitae Gomorrhae instar, possessio urticae et fodina salis et vastitas in perpetuum; reliquiae populi mei diripient eos et superstites gentis meae possidebunt eos.* Parum prodesset conspici a Deo quidquid patitur populus eius injuriarum, nisi parata esset ultio; Deus autem non est otiosus speculator, qui observet tantum, quae in mundo gerantur, sed merces reposita est omnibus impiis, לָכֵן, ideo sequitur poena, quae quo certius flagitatur, eo solennius pronunciatur. — Deus interponit jusiurandum חַי אָנִי. Deus jurat Num. XIV, 21. Deut. XXXII, 40 et ἐπεὶ κατ᾽ οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, ὤμοσε καθ᾽ ἑαυτοῦ Gen. XXII, 16. Hebr. VI, 13, demittens se, qua summa est misericordia; quamvis enim ipse sit veritas et unumquodque verborum eius iusiurandum, tamen quum homines, qua sunt fraude atque diffidentia, iure iurando interposito veri sibi videantur certiores, formulam sacramenti pronuntiat, quam, qui deum vere diligit, vel absentem adesse expertus est. Juri jurando pondus affert is qui jurat et is per quem juratur; uterque idem jam describitur, qui facile potest, qui libenter vult opitulari. — Potest, nam est יהוה צבאות. Grammatice constructio ita explicanda, ut ex notione Jehovae speciali generalis dei notio subaudiatur et proprie dicatur יהוה אלהי צבאות, cf. Jer. V, 14. XV, 16. cf. *Gesen.* ad Jes. I, 9. pag. 157. Exercitus hic primum memoratur Gen. II, 1: et finiti sunt coeli et terra et omnis exercitus eorum; ubi quaeritur, utrum exercitus coelis et terrae an coelis solis tribuendus sit. Priorem sententiam sequuntur recentiores fere omnes, cf. *Tuchii* Genesis, Halle 1838, nisi suffixo pluralis, quod

terrae coelique exercitum, homines, animalia, non minus quam stellas indicet. At vero suffixum, quamvis ad utrumque referatur, tamen eius tantum exercitum significare potest, cuius in universum exercitus nominatur; צבא autem nunquam de terra (de notione militari enim hic non agitur), sed semper de coelo dicitur, quare suffixum grammatice ad utrumque, quoad sensum ad coelum solum referendum est. Ne dicam, stellis quoque Gen. I, 17, certam tribui ad terram relationem. Geneseos igitur locus aperte indicat stellas, quas postea saepissime eodem nomine appellatas legimus aut ita ut sol atque luna simul includantur, aut ut excludantur, cf. I, 4. Sed jam Jos. V, 14. 15, princeps exercitus Jehovae ad Josuam accedit, angelus Jehovae, qui princeps est omnium angelorum; exercitus igitur memoratur angelorum deo ministrantium, qui omnes dei manifestationes atque apparitiones exhibent atque voluntatem eius in mundi gubernatione exsequuntur. Hos angelos, Jehovae exercitum legimus I Reg. XXII, 19. II Chron. XVIII, 18. Ps. CIII, 21. CXLVIII, 2. Uterque exercitus indicatur sing. צבא, angeli etiam צבאים. Jam vero plur. fem., id quod Job. XXXVIII, 7. Ps. CXLVIII, 2 significatur, utrumque conjungens, deum exercituum stellarum atque angelorum dominum pronuntiat omnes creaturas in obsequio continentem.

Mirum profecto est, usum huius descriptionis omnipotentiae divinae fere omnino neglectum esse, quum in disputatione de librorum sacrorum aetate summi videatur momenti esse. Nusquam enim legitur in Pentateucho, nusquam in Deuteronomio, nusquam in libris Josuae atque Judicum, iis ipsis libris, quos tempori vetustiori vindicandos esse constat. Primum autem Samuelis librum haec descriptio I, 3 primum obvia novae regni Israelitici aetati quasi de industria adscribit, atque abhinc in omnibus fere V. T. libris saepissime legitur. Et hoc

quidem prorsus convenit temporum rationi; Davidis enim aetate astrorum cultus magis magisque florens etiam Israelitis coepit periculosus esse, quare viri pii nihil antiquius habebant, quam ut populo exercitum coeli colenti Jehovam proponerent, non modo stellarum exercitus, sed omnium exercituum imperium tenentem, populum a cultu creaturarum ad mundi creatorem erecturi. Augetur autem usus vocum simul cum ingravescente astrorum cultu, quod apparebit comparanti Psalmos atque prophetas; deinde in prophetis Amosum, Jesaiam, Jeremiam, Sachariam et Malachiam. Magni autem est momenti, quod Jehova exercituum a Jesaia in priore vaticiniorum parte studio satis perspicuo usurpatur, in posteriore vero non nisi sexies; id quod facile intelligitur ex alterius partis indole, quippe cui *ἐκλογήν* solam respicienti magnifica hac descriptione opus non fuerit. Offendit vero Ezechielem, omittendi enim sunt Joel atque Jonas, quorum libri minoris tantum ambitus traditi sunt, Ezechielem igitur nunquam hac significatione uti; hoc autem inde ortum esse videtur, quod Ezechiel, sicut ex aliis quoque argumentis constat, Pentateuchi vestigia sedulo premens hanc vocem praesertim evitavit, quae ipsa temporis posterioris rationem olet. Praecipue igitur tenendum est, formula hac et ipsa confirmari, a primo Samuelis libro novam librorum sacrorum seriem incipere.

Omnipotens autem deus exercituum potest juri iurando stare, idem stare vult, nam est אלהי ישראל deus Israelis, quem sibi elegit et cui Jehovam se revelavit. Sequitur poena ipsa, primum perniciosa gentibus, deinde laeta Israelitis. Amos II, 2 Moabitarum urbes igne comburendas vaticinatur; ubi quod verbo significetur, Zephania explicat. Etenim quod supra ad I, 2 vidimus vates in suppliciis divinis depingendis, ut sermo sit nervosior atque efficacior, coloribus uti a suppliciis prioribus desumtis,

Sodomae atque Gomorrhae interitus Gen. XIX, 24 jam Deut. XXIX, 22 summi supplicii typus constituitur et a prophetis enixe adhibetur cf. Amos IX, 11. Jes. I, 9. XIII, 19. Hic autem comparatio illa imprimis est apta, cum quoniam Moabitae atque Ammonitae mari mortuo vicini supplicii spectaculum in conspectu habuerunt minans, cohortans, tum quoniam quod judicium pater, qui idem amborum genitor causa est cur v. 8 una collocentur, quamvis exigua fuerit fides eius, tamen ex urbium illarum interitu liberatus effugit, idem jam judicium filiis patre non modo non melioribus sed pejoribus imminuit necessario. — Erit autem Moabitarum terra מִמְשַׁק urticae. Vox haec, ἅπαξ λεγομένη, veteres mirum in modum offendit, quibus omissis *Rosenmüllerum* tantum afferimus, qui cum *Chald.* interpretatur derelictionem urticae, cuius tamen significationis exempla non addit. Melius cum recentioribus comparamus مسك, tenere, possidere et cognatum מֶשֶׁךְ possessionem cf. Gen. XV, 2, et sensum eundem Jes. XIV, 23 מוֹרָשׁ קִפּוֹד. — חרול Prov. XXIV, 31. Job. XXX, 7 urticae possessio respondet vastationi sulphure ortae cf. Deut. XXIX, ut neque possit seri neque progerminare. — מכרה secundum analogiam aliarum vocum cum מ praefixo est locus effossionis, fodina. — מלח est altera pars, qua Deut. l. c. vastitas indicatur, quum universa illa regio, sicut Loti uxor dicto non audiens probat, obruta sit acervis salis cf. *Robins.* l. c. II, pag. 448—463, unde salis sparsio Jud. IX, 45 actio symbolica Sodomae eversionem loco destinans. cf. Ps. CVII, 34. — Post singulas eversionis partes omnes amplectitur שְׁמָמָה. — עולם interpretes plerique longum tempus significare putant, praecipue quum Jeremias utrique populo deum ad captivitatem eius rediturum esse promittat. Sed *Hengstenb.* Christol. II, p. 428—434 demonstrat עולם semper aeternitatem esse, quae quidem perinde ac in vernaculae nostrae linguae usu

ex sententia loquentis restringi potest. Atque Jeremiae promissionem aeternitati non repugnare, demonstrant Sodoma et Gomorrha ad quas urbes deus non minus rediturus est, et quae tamen externam restitutionem non admittunt, significantque sensum restitutionis altiorem, spiritualem.

Poena divina perniciosa populis illis, perinde ac Philistaeorum clades, laeta est dei reliquiis, quae secundum accipiunt consolationis argumentum. יתר idem est ac שארית, sed rarius legitur cf. II Reg. XXV, 4. Sach. XIV, 2. — גוי gentis meae, alterum י excidit, cf. *Ewaldi* gramm. min. p. 266. — Postremo difficultates commemorandae sunt, quas *Hitzigius* versui inesse opinatus est. Primum direptionem dicit vastationem non sequi debere sed praecedere; at eodem jure v. 7 negari posset, reliquias in domibus Askalonis cubituras esse secundum v. 4 et 6 prorsus dirutis ita ut pascua tantum remaneant. Deinde inconcinnitatem invenit in comparata terra Moabitarum cum urbibus Sodoma et Gomorrha devastatis, quum non urbes sed terra urbium sit possessio urticae, sed cur non dicatur urbs eodem iure, quo terra urbis urticae possessio? Tum praedandos dicit Israelitis Moabitas atque Ammonitas ita ut servos eos faciant, quum terra non amplius apta sit נחלה; at quam ob causam Israelitae non possideant terram Moabitarum vastatam sicut Philistaeorum? Quare *Hitzigius* quum in initio versus ipse terram subaudiat, jam neque terram neque opum ruinas atque residua vult subaudire? Summa igitur est, deum, sumta etiam de Moabitis atque Ammonitis vindicta, paucas populi sui reliquias haeredes facturum esse totius terrae.

v. 10. *Hoc iis pro superbia ipsorum, quoniam exprobrarunt et fastuose egerunt contra populum Jehovae exercituum.* Deus severissime agens ut judicia sua iusta esse ostendat, denuo causam desolationis inculcat, cul-

pam et poenam, iniuriam et vindictam, quasi aequa lance pensitans. — תחת *Rosenm.* explicat: propter; verum et quod confert Chald. חלף et תחת semper retinet vim substituendi, ita ut in locum fastus atque superbiae quam sibi arrogarunt exitium ipsis funestum substituatur. cf. *Ew.* gramm. maj. pag. 612. — גאונם eidem populo Jes. XVI, 6 crimini datum, non unicum vocatur eorum peccatum, sed aliorum origo; superbia enim est *ἀρχὴ τῆς ἁμαρτίας* Sirach. X, 15, quum superbus quivis a deo deficiat, immo dei se hostem ipso opere profiteatur, et facile in quaevis alia peccata ruat; conferas Evae exemplum, quam superbia, qua Deo aequalis esse studuit, commovit, ut deficeret a deo atque laberetur. Gen. III, 4. cf. etiam *Gregorii Magni* Moral. XXXIV, 18 in Job. XLI, 25: „alia vitia eas solum virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut ira patientiam, libido continentiam, superbia autem nequaquam unius virtutis exstinctione contenta, contra cuncta animae verba se erigit, ac quasi generalis ac pestifer morbus eam totam corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi virtus esse ostendatur, non per hoc deo, sed soli vanae gloriae serviatur.“ Superbia fons fuit, unde peccata v. 8 nominata profluxerunt, verbo atque opere perpetrata, contumeliae atque invasiones; repetuntur eaedem ex fonte suo derivatae, adjecto eo, quod criminis culpam cumulat, factas scilicet eas esse contra populum Jehovae exercituum, cuius majestas populo injuste oppresso laesa omnipotentiam suam, cui omnes exercituum potestates obnoxiae, et gratiam suam, qua Israelitis Jehovam se praebet, luculenter manifestet necesse est.

v. 11. *Terribilis est Jehova super iis, nam emaciat omnes deos terrae; et prosternent se ei, e suo quisque loco, omnes orae gentium.* Jehova, quum ad tempus tulisset hostium protervíam atque sperni ab iis coeptus esset,

quia impii non cedunt deo, nisi urgente eius manu, jam ostendit, quam terribilis sit populi sui vindex, ut expavescant. Sicut culpam v. 8 explicatam vidimus v. 10 breviter repetitam, ita jam poena denuo inculcatur, verum perinde ac v. 10 peccatorum fons investigatur, sic jam pars poenae perniciosa ex ratione sua interna, delendo idolorum imperio, pars illa hilaris atque laeta ex summo suo fine, populorum ad Jehovam conversione, describitur; qui nexus repugnat *Hitzigii* et *Ewaldi* sententiae, qui versum nostrum cum sequentibus conjungunt, omissa suffixi עליהם ad praecedentia relatione. — נורא LXX et Syr. vertunt ἐπιφανής, quod esset נראה, sed cf. Deut. VII, 21. X, 17, dei atrocitatem accuratius descriptam, omnibus temporibus aeque gravem, quum *(Hieronym.)* „omnes impellantur ad metum dei aut filialem aut servilem.“ — עליהם non ex constructione vocis נראה *(Hitz.)* derivandum est, sed in mentem revocanda dei judicia, quae exsecuturus descendit de coelo, terribilis super impiis manifestus, irae suae ardorem in eos dejecturus cf. Gen. XI, 5. — כי Dei terrores sentient impii profecto adesse, quod minae eius implentur. — רזה legimus Jes. XVII, 4 et רזון Jes. X, 16. XXIV, 16. Mich. VI, 10. Ps. CVI, 15, cf. رزا et رذى enervari, extenuari, emaciari; unde est emaciare ideoque perdere. *Tarn.:* „paulatim ac sensim perdit idola, adimendo ipsis cultores, omniaque sacrificia abolendo, quibus hactenus quasi turgebant, quibusque se diffarciebant impura illa animalia, ut hoc velut cibo subducto macri fiant ac strigosi.“ — כל אלהי הארץ sunt Jes. II, 18. XIX, 1. XLVI, 1. Mich. V, 12 idola gentium, quae totius terrae imperium sibi vindicantia, deus pro propria ipsorum natura, qua sunt אלילים Lev. XIX. 4, XXV, 1. Ps. XCVI, 5, vana atque inania monstrabit; haud aliter ac in loco fundamentali Ex. XII, 12 deus „se contra omnes deos Aegypti iudicia facturum esse“ non modo minatus

est, verum etiam eventu egregie confirmavit. — Quae quando ex templis suis dejecta erunt instar Dagonis illius, adorabunt deum omnes איי gentium, proprie insulae sive orae maritimae, deinde regiones maritimae et transmarinae, tum regiones in universum longissime remotae cf. Gen. X, 5. Jes. XLII, 4. Omnes terrae gentes ad Jehovae cultum vocandas esse, supplicia dei non modo ad perniciem sed multo magis ad salutem pertinere, quum nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur a praevaricatione sua, hanc gratiam dei universalem, vatibus laetissimam spem tempore Messiae implendam conferas Mich. IV, 2. Jes. IV, 3. XLII, 4. LX, 9. Jer. XXXI, 6. Sach. VIII, 20—23, praecipue autem eo loco, qui prorsus sicut v. noster salutem gentium ex poena earum proficisci docet, Jes. XIX. — Sed additur איש ממקומו, quod duplici modo intelligi potest, aut ita ut suo quisque loco deum colat precibus nubium suffitus instar ascendentibus, aut ut ex suo quisque loco exiens veniat Hierosolyma adoraturus. Priori explicationi non repugnat, quod *Cöllnius* putat praepositionem מן notione praepositionis ב intelligendam fore, quoniam ascensus precum ex loco cogitari potest, quamvis gentes remaneant in locis suis; alia quoque argumenta eius ex locis parallelis petita non videntur valere, quum in iis praepositio מן ex certo sententiarum nexu definiatur; quem locum prae ceteris urget propter ellipsin eandem, Job. XXVII, 23, is haud ita magni est momenti, quum sibilando quis depellatur ex loco suo. *Hitzigius* et *Maurer* conferunt Ps. LXVIII, 30; verum illic, quamvis *Maurer* explicationem languidam esse existimet, מן est praep. causalis „propter templum tuum super Hierosolymis afferent tibi reges dona;“ nexus enim quem statuit cum v. antecedente nimis videtur artificiosus atque contortus. Quamvis igitur haec argumenta de Hierosolymis cogitandum esse non efficiant,

duae tamen sunt rationes, quae hanc interpretationem solam veram esse demonstrant. Primum enim omnis cultus dei in sanctuario eius exhibendus est, id quod Deuteronomii leges crebro inculcant et I Sam. I, 3 describit; quocirca nisi certa definitio contrarium probet, dei adoratio legitima Hierosolymis locum habet. Quo accedit, quod prophetae omnes, in primis quem Zephania saepissime affert Jesaias, promissionem dei summo studio atque ardore promulgant, qua omnes undique gentes supplices Hierosolyma sint convolaturae, dona splendida allaturae. Quam promissionem nostro quoque loco convenire, probat cp. III, 10, ubi gentes vel remotissimae Judaeos dispersos deo sacrificium offerunt, iisque verbis Judaeos Hierosolyma reductos vates sibi videatur indicasse. Qui gentium concursus quomodo cogitandus sit, idem ille Jesaias docet, mox Hierosolymis omnes gentes adoraturas esse effatus, mox sacrificia dei, abrogato cultu Levitico, in quocunque terrarum orbis loco offerenda esse Jes. XIX, 19; quapropter si quidem omnino gentes omnes externa illa Hierosolyma confluentes quaerent, id quod ante eventum vix videtur constituendum esse, necessario tamen ad altera illa Hierosolyma confugiendum est, *πόλιν θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουράνιον* (Hebr. XII, 22).

Quaerendus jam vaticinii eventus. Et prior quidem pars impleta est per Chaldaeos ipsos, quos dei ministros jam saepius cognovimus. Quamvis enim terrae solum non sit Sodomiticum, quod non rei sed descriptioni tribuendum vidimus, Chaldaeos tamen quinto post Hierosolyma vastata anno exercitum in Coelesyriam duxisse tradit *Josephus* Antiqu. X, 9. 7, eaque occupata Ammonitis et Moabitis bellum intulisse, deinde redactis in suam potestatem gentibus illis in Aegyptum profectos esse. Quae clades si non fuit ad internecionem, postea

Persarum, Maccabaeorum, Romanorum invasiones verbum dei adeo impleverunt, ut Moabitarum prius, deinde Ammonitarum vel Origenis tempore non amplius mentio fiat. Quod ad posteriorem attinet vaticinii partem, accuratiora referuntur. Maccabaei enim, praecipue Judas ita populos hos subegit, ut quae memoratur praedatio atque possessio ad verbum locum habuerit cf. *Joseph.* Ant. XII, 11. 12. XIII, 9. 13. 15. 17, et I Macc. V, 6—8. Deinde jam per Judaeos captivos *Grotius* dicit multos de gentibus didicisse unum esse deum cognitumque coluisse. „Id autem non sine cruentis bellis, ne typus pro re ipsa et umbra pro corpore haberetur. Ergo qualiscunque illa, quae sub Maccabaeis populo dei tum in sua tum in aliis regionibus, iam tum enim per Aegyptum et Asiam plurimi habitabant, felicitas atque potentia contigit, id fuit quantum ad typi quidem et adumbrationis rationem attinet, quod tam hic quam alibi in prophetis Judaeis e Babylone reducibus promissum legimus. Vera autem omnium adimpletio in regno Christi facta est hic spiritu et fide, in futuro demum saeculo re ipsa et perfruitione consummata“ *Bucerus.* Eandem sententiam veterum praebet consensus. cf. *Eusebii* Demonstr. Evangel. II, 2. 16: *ἀπὸ τοῦ Σοφονίου δήλωσις ἐπιφανείας Χρίστου καὶ καθαιρεσέως εἰδωλολατρείας καὶ τῶν ἐθνῶν εἰς θεὸν εὐσεβείας.* *Augustinus* de civitate dei XVIII, 33 memorat haec verba Sophoniae prophetae de Christo praedicta. *Theodoretus: τὸ ἀκριβὲς τέλος ἡ προφητεία διὰ τῶν ἱερῶν ἔλαβεν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνους διαδεξαμένων ἁγίων — τοῦτο δὲ οὐ κατὰ νόμον ἀλλὰ κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν διδασκαλίαν γεγένηται.* cf. Apocal. XV, 4. Etenim primorum illorum Aegypti deorum instar omnes omnium gentium dii in dies emaciati sunt atque emaciantur, donec finito supplicio dei atque judicio, ipse solus relinquatur deus atque ipsum omnes

quamvis non colant tamen agnoscere cogantur, cultores autem veri in possessionem cedant regni divini, quod omnes undique mansuetos praemio ornat praeclaro. At futura haec salus, calamitatibus praesentibus vel maxime opposita, supplicio dei tanquam fundamento nititur, quare vates a conspectu eius obscuro quidem neque perspicuo sed laetitiae pleno recedit, et novas peccatorum catervas videt novas poenas exigere.

v. 12.

Occidentem et orientem versus vindicta dei promulgata, vates meridiem spectat. Nominat autem populum tum numero et potentia populis supra allatis majorem tum longius remotum, ut et illorum vicinorum calamitas eo certior fiat et Dei omnipotentia omnes peccatores vindicans appareat. Particula גם igitur non solum versui antecedenti annectit ex *Hitzigii* sententia sed respicit v. 4 et v. 8, quibus tertius additur populus. Transitum a finitimis illis ad remotiores continet versus 11 pars prior, vicinos remotosque eodem complectens exitio.

Cuschitae sive Aethiopes, orti Gen. X, 6 ex Hamo, habitabant Aethiopiam, Syenae septentrionalem, et Arabiam felicem ab occasu brumali; quae terrae non nisi mari rubro separatae postea quoque commercio atque societate conjunctae erant. Hanc enim sententiam *J. D. Michaelis* Spicileg. pag. 143—157 ita defendit, ut neque *Bochartus*, qui Arabiae soli, Phaleg. IV, 2, neque *Gesenius*, qui Africae soli eos adscribat, videatur argumenta eius refutare. Invasionem eorum in terram Judaicam rex Asa II Chron. XIV, 9—13 [1]) omnino repulit, postea quid

1) Dux Cuschitarum nominatur זרח, de quo omittenda non sunt quae *Rosellini* Monumenti dell' Egitto I, 2 pag. 87—90 affert. Etenim *Champollion* Précis II, pag. 257 putat, eum esse Aegyptorum regem Osorkon, quem Manetho atque monumenta me-

ab Assyriis iis metuendum sit, docet Jesaias cp. XVIII et XX; quibus vaticiniis Zephania nisus adjicit, sicut pridem manum dei non effugerint, ita novum per Chaldaeos supplicium ipsis quoque appropinquare.

Etiam vos Aethiopes! interfecti gladio meo erunt ipsi. חללי חרבי in mentem revocat verba Jesaiae LXVI, 16; nam quum saepissime ultimum hoc Jesaiae caput a Zephania respectum videamus, ibi quoque quod Jesaias de omnibus orbis terrarum gentibus praedicit, Zephaniam apparet huic uni annuntiare. — חרבי sicut Jes. X, 5 אשור שבט אפי; quamvis enim interficiendi sint a Chaldaeis, accidet tamen deo ipso summo duce, sub cuius auspiciis militabant Chaldaei, quemadmodum antea usus erat Assyriis ad supplicia perpetranda. — המה interpretes recentiores omnes putant vice verbi substantivi fungi vertuntque: eritis interfecti, quoniam pronomen personae tertiae, etiam si subjectum est pronomen pers. primae vel secundae, pro verbo substantivo collocetur. Sed nullum scripturae sacrae locum hanc regulam probare, paucis demonstrabimus. cf. *Ewaldi* gramm. maj. pag. 632 et 633, qui rem videtur accuratius proposuisse quam *Gesenius* Lehrgebäude pag. 738. 1) *Ewaldus* bene inde proficiscitur, quod propositio proprie subjecto et prae-

---

morant. Cui sententiae favet primum quidem temporis ratio; etenim ab anno quinto Rehabeami usque ad cladem Serachi numerantur anni triginta, et tempus, quo regnarunt primi duo huius dynastiae Pharaones, Sesonchis et Osorkon, efficit triginta sex annos. Deinde favet nominis similitudo, quum literae consonantes vocis Osorkon tres priores inveniantur eaedem in nomine Serach. Repugnat vero, primum quod deest litera N, quae ad ipsam vocem Osorkon pertinet; deinde Serach nominatur Aethiops, non, sicut Sisak omnesque alii Aegypti reges, rex Aegypti vel Pharao. Fuit ergo Serach princeps Aethiopum, sive Aegyptis tributarius, etenim et Sisak II Chron. XII, 3 Aethiopes adduxit in exercitu suo, sive liber suaeque potestatis; quum incertum sit, quo usque singuli Aegypti reges Aethiopiam obnoxiam sibi fecerint.

dicato conjuncto formata est, quo reducendum est etiam primum *Gesenii* membrum, ubi minus accurate locos explicans verbum substant. subaudit, cf. Gen. XLII, 11 כנים אנחנו probi nos, nos sumus probi et exempla in *Noldii* Concordd. particul. ed. Tympius Jenae 1734 pag. 865. — 2) Deinde si et subjectum et praedicatum utrumque definitum est ita ut facile possint conjungi, praedicatum forma pronominis pers. praemittitur, cui praedicatum ipsum appositions loco additur, praecipue ubi sermo nervosus est et ponderosus, cf. Jes. XLIII, 15 אנכי הוא מחה פשעיך ego sum abluens peccata, proprie ego sum is, qui abluit peccata; quod dilucide explicatur I Chron. XXI, 17 אני הוא אשר חטאתי ego sum is qui peccavit; cogitatur enim objectum audientis animo obversans, quaerenti in quod subjectum cadere possit, velut nos: ich bin es, der. Huc pertinet prae ceteris Deut. XXXII, 39, ubi deus alios deos non posse dicit auxilium praestare: videte jam, quod ego, ego sum is, scil. quem deum et auxiliatorem quaeritis, neque est deus mecum. Quae dei verba eadem Davides precaturus deo repetit II Sam. VII, 28: jam vero domine Jehova, tu es is, qui deus (solus, verus) est; ubi *Gesenius* הוא verbum substantivum esse ratus tam relationem ad Deut., quae inest etiam voci האלהים, idem significanti ac: non est deus mecum, aufert, etiam pondus, quod Davides verbis inesse voluit imminuit. Idem valet Jes. XLIII, 10 ego sum is, sc. qui solus dei notioni respondet; Ps. XLIV, 5 non homines auxiliantur, sed tu es is, meus rex, deus. cf. Deut. XXXI, 8. Jes. XLVIII, 12. Jud. VI, 22. Eadem fere est ratio, cur pronomen personale, tam si subjectum ex compluribus verbis componitur, quam si huic ipsi subjecto praedicatum convenire cum pondere dicendum est, post praedicatum repetitur cf. Gen. XXXIV, 21, ita ut subjectum quasi absolute positum sit; cf. Deut. XXX, 11 quod

attinet ad legem hanc, non longinqua est ipsa. Prior illa pronominis collocatio objecto, haec subjecto inservit. — 3) Tertius denique pron. pers. usus legitur in libris scripturae sacrae posterioribus Chaldaeorum usum olentibus, ubi vis supra significata in puram transit copulam. Exempla huius usus rarius inveniuntur, nam quae plurima affert *Noldius* Concordd. pag. 226 et *Gesenius* l. c. fere omnia ad usum quem proposuimus secundum reduxeris. Invaluit autem etiam apud Hebraeos, quoniam dialectis est usitatissimus cf. *Rosenmuelleri* institut. ling. Arab. p. 311 — 313, ubi eadem quoque, si dicti alicuius est vis praecipua, pronominis repititio, et *Hoffmanni* grammat. Syriac. pag. 314, qui *Gesenii* vestigia premens Syriacae linguae usum prosperiore eventu explicasse videtur, quam ille Hebraicae. Exempla Chaldaica scriptura ipsa praebet non solum huius generis, sed etiam eius, quod Hebraeis prorsus alienum est, quo subjecto pronomini primae vel secundae personae pronomen tertiae pro verbo substantivo addatur Esra V, 12; sicuti facile vis, quae constructioni inest, temporis usu imminuitur. Secundum autem quem *Gesenius* proponit ordinem Hebraeis putaverim alienum esse, quum omnia, quae affert, exempla supra explicaverimus.

Quae quum ita sint, interpretatio: eritis interfecti vix videtur admitti posse. Constructio enim nostra ab omnibus quas memoravimus abhorret, neque cum *Ewaldo* usui illi secundo adnumerari potest, quum pronominis persona mutetur. Quaestionem inde orientem praeclare solvit *Calv.*: „In secunda persona initio versus propheta Aethiopes compellat, ut compareant ad tribunal dei, postea in tertia persona adjungit: erunt cet.“ Assentitur *Rueckerti* interpretatio. Talem personae mutationem cf. III, 18. Sach. III, 8: Audi, Josua, tu et socii tui-nam sunt viri portenti. Ezech. XXVIII, 22: ecce, venio super

te, Zion, — et cognoscent, me esse dominum. Jer. VII, 4. Hic sensus est verborum gravitate dignissimus. Propheta, divino latus spiritu atque impetu, supplicium cernens omnes regiones coeli vastaturum, in meridiem se convertens, Aethiopes animadvertit et provocat quasi ad tribunal dei; collocati coram iudice, quem non est, qui effugiat, sententiam audiunt a iudice justissimo latam: erunt interfecti gladio.

Vaticinium, repetitum Ezech. XXX, 4 et 9, ubi vel verba eadem leguntur, quum Nebucadnezar Chaldaeorum rex *Joseph.* Antiqu. X, 11 etiam Aethiopes vinceret atque subigeret, eventum habuit. Spiritualem sensum, quo quae v. 11 indicata erat gratia dei omnes gentes amplectens Aethiopum quoque poenam sequi dicitur, in ecclesia christiana sensim sensimque implendum vaticinio quodam reali demonstrat Act. VIII, 27—38. cf. *Umbreitii* explicationem ad Jes. XIX, 19.

v. 13—15.

Postrema regio coeli, in quam Deus vindex magnifica invehitur pompa, est septentrionalis, unde gravissimae Israelitis descenderant calamitates. Illinc enim imminebant Assyrii, qui quamvis proprie non habitaverint septentrionem versus, tamen quum in terram Israeliticam irrumpentes ex septentrione semper descenderint, jure nominantur septentrionales. Regnum eorum conditum est Gen. X, 11 a Nimrodo. Afferuntur a Bileamo Num. XXIV, 22; deinde potentissimi Phulis regis memoratur invasio, qua Menachemum tributarium sibi subjecit II Reg. XV, 19. Tiglath Pilesar II Reg. XVI, 5—9 ab Ahaso in auxilium vocatus, partem regni Israelitici atque Syriaci in potestatem suam redegit. Salmanassar II Reg. XVII decem tribuum incolas trans Tigrim in captivitatem abduxit. Sanherib vero usque ad Hierosolymorum portas progres-

sus II Reg. XVIII, 13—37. XIX, Dei auxilio miraculoso repellitur. At quum Hiskiae fides deesset in Zione Jehovae, Esarhaddon II Chron. XXXIII, 11 Manassen, Hiskiae filium, captum Babylonem deportavit. Quae quo major fuit Assyriorum potentia, eo magnificentior splenduit Ninive, caput regni, apud Graecos Romanosque Ninus. Descriptiones eius a Jona III, 3. IV, 11 et Nahumo III, 16 datae consentiunt cum iis quae *Diodorus Siculus* II, 3 tradit. Ambitum eius quadringentorum octoginta stadiorum fuisse dicit, muros centum pedum altitudinis, et tantae latitudinis ut tres currus facile provehi possent, tantisque operibus munitos, ut nunquam viderentur exsuperandi. Munimentis externis respondit magnificentia interna, divitiae, luxuria, lautitia. Verum quo largiora sunt dei munera, eo parcior solet esse gratiarum actio, eo arrogantior superbia. Quare non defuerunt dei minae atque admonitiones; Bileami verba tempore antiquo prolata resonnerunt in Jonae sermonibus, qui exemplar provocarunt poenitentiae a gentibus actae, qualis ab Israelitis rarissime tantum est exhibita; poenitentia vero mox majori superbiae cessit, quare post crebras Jesaiae minas grave onus Nahumo teste urbi appropinquat, impoenitentes consumturum. At cunctante dei manu, ne despondeant Judaei animos, Zephania tristissimum cernit urbis interitum, qui annunciatur v. 13, accuratius describitur v. 14, luctuosissime paratus irridetur v. 15.

v. 13. *Et extendet manum suam contra aquilonem et perdet Assyriam, et faciet Niniven vastitatem, aridam deserti instar.* Versu proximo vates sententiam a deo latam prolocutus erat, jam quae oculis suis obversantur, exprimit. Transit autem, perinde ac viro in montis vertice posito circumspicienti primum conspectus regionis generalis, deinde singula se offerunt, a generali coeli regione ad populum definitum eiusque urbem certam. — Quan-

tum ponderis insit extensioni manus divinae vidimus supra ad I, 4. — ויט. *Ewaldus* legit וַיֵּט notione praeteriti; at argumentum eius praecipue ex obsidione a Phraorta *Herod.* I, 102 facta petitum valde incertum est. Ipse enim intra annos 630 et 625 eam factam esse docens terminum constituit, ante quem Zephaniae vaticinium editum esse potest. Deinde deum perdidisse Assyrios, de Phraortae invasione dici non potest; etenim ut omittam, obsidionem urbis, quam *Ewaldus* mirum in modum urget, *Herodoti* verbis prorsus non inesse, invasionem tantum in Assyriorum fines memorantis, saltem Cyaxaris oppugnatio eos nondum perditos fuisse demonstrat, quare tempus fut. non a voce וישׂם sed a voce ויאבד etiam ex *Ewaldi* sententia incipiendum esset, quid enim discriminis intercedit inter perdere et vastum reddere! Tum universa urbis descriptio, praecipue v. 15, non debilitatam atque corruentem, sed pristina potentia atque superbia valentem indicat. Etiam magis nexus sententiarum atque ratio grammatica illi sententiae videtur repugnare, praecedente enim tempore futuro solo non liquet, quomodo praeteritum, in hoc nexu alio modo significandum cf. v. 8, ex consecutione temporum annectatur. Loquitur autem vates de supplicio divino quamvis appropinquante, tamen futuro — et quantum prior illa manus extensio v. 4 Israelitarum animos commovit, terruit, tantum haec altera solatium iis affert, deum populi sui memorem esse manifestans. — ציה כמדבר cf. Jes. XXXV, 1 quae siccitas urbis omni amoenitate abundantis cf. Nah. II, 6. 8 exprimit defectum proprie puteorum atque deductionis aquarum, deinde, quoniam aqua homines ad vivendum carere non possunt, tam incolarum quam bonorum quorumvis urbem ditantium rerumque ad vitam sustentandam necessariarum.

v. 14. *Et recubabunt in medio eius greges, omnes bestiae gentis, et pelecanus et erinaceus in capitulis eius*

pernoctabunt; vox cantabit in fenestra, vastatio in limine, nam tabulatum cedrinum denudavit. Exposita triplici modo dei vastantis actione, jam desolatus urbis status, manu dei extensa ortus, adjungitur. Urbs illa erat satis celebris, atque frequentia hominum gregibus locum non cessit; ex urbe autem vasta, deserta recedunt hominum vestigia cubantque in ipsa עדרים, quae propter epexegesin verbis sequentibus expressam non sunt ovium boumve greges, sed ferarum, quibus desertum arridet recubandi locus. cf. descriptionem praeclare v. nostrum illustrantem Jes. XIII, 20—22. — כל חיתו גוי. Interpretes in duas potissimum partes abeunt, quarum altera גוי statuit gentes esse, altera גוי ad animalium genus refert, ut sint vel animalia omnis generis *(Hitz.)*, vel animalia, quae gregaria gentem gregemve facere solent *(Cölln. Rosenm.)*. Prima autem explicatio vocem גוי notione adhibet, quae non nisi plurali tribuenda; sing. semper est gens, non gentes; verum etiamsi constaret sensus ille, ferae gentium minus apte dicerentur, cum non esset, cur bestiae gentibus tantum vindicarentur. Secunda, qua *Hitzigius* proprie legendum putat כל חיתו כל גוי, neque omissum alterum כל quo iure subaudiat probare, neque גוי de genere animalium dici demonstrare potest. *Maurer* igitur גוי interpretatur universam gentem bestiarum, bestias multitudinis, cui articuli quidem omissio in poetico dicendi genere non tantum obstat, quantum sensus ipse omnes bestias universae bestiarum gentis minus apte Niniven congregans. Restat igitur, ut omittamus *Herwigium*, qui גוי putat desertum significare sicut Arab. جوّ, explicatio *Cöllnii, Rosenm., de Wettii:* bestiae gentis, quae gentem gregemve facere solent. Comparatur a multis Prov. XXX, 25. 26, ubi עם populus formicarum et cuniculorum memoratur; עם vero, derivandum ab עמם coniungere, claudere, cf. *Gesenium* s. v., retinet vim pro-

priam populi bene constituti atque ordinati, quae de bestiis pronuntiari non potest. Melius confertur Joel. I, 6 locustarum gens, quae sine certo quodam ordine congregatae una advolant. Quae universalis confluxus notio, cf. *Gesenii* Thes. s. v., derivanda a גוה confluere, Hebraei cur vocem de gentibus usurparint explicat; gentes enim eas appellabant civitates, quae vero civitatis vinculo, pietate scilicet erga deum verum, carentes, sicut animalia confluunt tantum; Israelitae igitur ipsi, siquidem deficiunt a deo, vinculo civitatis destituti non amplius sunt עם sed גוי, quod egregie confirmat Deut. XXXII, 21, ubi לֹא עם, non populus idem esse dicitur ac gens stulta. Ita bestiae gentis sunt bestiae, quae in gentem gregemve confluere solent, adduntque gregibus praecedentibus appositione satis conveniente, quibus animalibus greges formentur. — חיתו formam hanc stat. construct. etiam Gen. I, 24. Ps. L, 10. LXXIX, 2. 11. 20. Jes. LXI, 9 obviam non cum *Gesenio* Lehrgeb. pag. 549 paragogicam poeticam, sed cum *Ewaldo* gramm. maj. pag. 376 signum stat. constr. externum priscum habemus, quod in hac voce fere sola retentum ex Geneseos loco in alios scripturae sacrae libros transiit. Quae vox quum proprie omnia omnino animalia significet, solet de agrestibus dici, cf. *Gesenium* s. v., quare excluduntur iam pecora ex urbe, quae ne pascua quidem amplius praebet. — Descriptis novis urbis incolis in universum, jam vates domos eius ipsas atque palatia, quantum sint mutata, depingit. Primum קאת cf. *Bocharti* Hieroz. II, 2. 24. pag. 292 est pelecanus dictus a קאה, quum conchas jam absorptas revomat, calore ventris apertas, ut esculenta ex iis legat. cf. Jes. XXXIV, 11. et Ps. CII, 7. Offendunt aves aquaticae in locis desertis sedem habentes, quod secundum *Bochartum* ita explicandum, ut desertum dicamus non omnino inaquosum; praecipue Ninive ad Tigrim sita quam-

vis sicca fuerit, tamen palustris pelecano convenit. — קפד cum pelecano conjunctus Jes. XXXIV, 11 erinaceus cf. *Boch.* Hieroz. I, 3. 36. pag. 1035, animal φιλήρεμον. cf. Jes. XIV, 23. — כפתריה sunt Ex. XXV, 31. 33. 34. XXXVII, 17 capitula, ornamenta candelabri aurei, secundum *Josephi* Antiqu. III, 6. 7. malogranata arte facta; deinde Am. IX, 1 capitulo opponitur limen, ut templum significetur ex partibus maxime oppositis, capitulo in summo fastigio et limine, ima templi parte. Pernoctabunt et remanebunt igitur animalia illa in capitulis, etiamnum superstitibus in ruderibus aedium vastatarum et vacuarum. — Sequuntur tria vastitatis indicia, multis interpretum opinionibus illustria. Primum post capitula affertur fenestra, in qua קול ישורר, vox cantabit. Quaeritur quae sit vox illa, quae in fenestris audita certum est signum desolationis. *P. Ewaldus* cogitat de flatu venti per fenestras aedium vastatarum flantis, sed cantus ei non convenit. Alii intelligunt secundum Lev. XVII, 17. Jes. XIII, 21. XXXIV, 14. *Boch.* Hieroz. I, pag. 643. II, pag. 828, daemones in locis desertis versantes; cui sententiae allusio quidem illa ad Jesaiae capita favet, nexus autem sententiarum alienus videtur. Etenim quum antea animalia nominata sint, haec quoque vox ad animalia referenda est, quae aedium ruinis insidentes vocem edunt propter ישורר aptissime avibus vindicatam, in fenestris aedium destructarum apertis commode sedentibus atque canentibus. *Hitzigius* et *Ewaldus* propter animalia Jes. XXXIV, 11 pelecanum et erinaceum sequentia ibi quoque animalia nominata esse contendunt; jam vero quum קול nunquam habeat animalis significationem, *Hitzigius* eam ululam esse proponit, quippe cuius fere semper occultae vox sola manifesta sit. At neque ipsius conjectura argumentis nititur, neque locus conjectura eget. — Post fenestras affertur limen, in quo sit, nihil enim est quod cantandi

notionem etiam huic membro subaudiendam esse indicet, חרב. Interpretes iterum animal appellatum esse rati, quum חרב sit devastatio cf. Jes. LXI, 4. Ezech. XXIX, 10, alii aliud animal fingunt. *Hitzigius* avem postulat non alte volantem, solo inhaerentem, et proponit otidem tardam خرب, quam Mesopotamiae vastae incolam afferat *Xenoph.* Exped. Cyr. I, 5. 2; *Grotius* aliique LXX sequuntur, quae cf. Jes. XXXIV, 11 ערב legisse videtur, vertuntque corvicem; *Ewaldus* denique חרב hic idem valere ac ערב putat, quamvis *Hitzigius* corvorum limini inhaerentium mentionem non convenire ostenderit. Quod locum nostrum *Ewaldus* et graviorem putat et priorem quam Jes. XIII et XXXIV, ex nexu sententiarum, qui aequam utrique rationem adscribens neutri videtur priores deferre, accuratius erat demonstrandum. cf. *Küperum* l. c. pag. 79. Vastatio autem in limine satis conveniens memoratur tertium vastitatis indicium, ita ut non modo ex *Maureri* sententia nominentur aedium partes superiores, fenestrae, et inferiores, limen, sed tres aedium partes, summa capitula, mediae fenestrae, infimum limen, totumque aedificium appareat destructum. — Postremo causa additur ex qua ortus sit status ille tristissimus, כי ארזה ערה. ארזה est tabulatum cedrinum, a cedro derivatum, notione fem. collectiva, sicut עצה, ענכה, quorum exempla plura affert *Gesenius* Lehrgeb. pag. 477. Tabulata haec, ornamenta non tectorum sed parietum cedro obductorum, memorantur Cant. I, 17. Jer. XXII, 7. 14. 15. 23. Sach. XI, 1. — ערה cf. Jes. III, 17. XXII, 6. Ps. CXXXVII, 7, est nudare. Nudans subaudiendus non est hostis vel nudans quidam in universum, sed qui manu sua extensa totam vastationem versu nostro descriptam perfecit Jehova, haud sine pondere in finienda enarratione iterum particula כי auctor nominatus. Denudatio autem tabulati vel ita explicanda est, ut tabulatis cedrinis abruptis parietes denudentur,

quae sententia poetico vatis sermoni non tantum repugnat, quantum *Hitzigius* putat, atque vastationis argumentum, quum vastatio usque ad interiores aedium partes penetrans exteriores destruxerit necesse sit, haud ita contemnendum affert; vel id quod praeferendum esse putamus, cum *Maurero* ita cogitanda, ut nudata sint tabulata, quum ablato tecto, perruptis fenestrarum clathris, diffractis januis, exposita sint injuriae aeris, ventorum et imbrium; id quod praemissa particula causali ad proxime praegressa bene convenit, quum tabulatis a deo denudatis et tectum et fenestra et limen vastum sit necessario. Qua explicatione et verbis et nexui accommodata rejecta, interpretes valde aberrarunt. Vix enim nominanda LXX legens עזה vertensque, quia cedrus est altitudo eius, neque alii derivantes ארזה a רזה: quoniam attenuabo robur eius *(Hieron.)*, neque alii ארזה etiam sine Mappik rati nomen ארז esse cum suffixo femin. ad Ninivem referendo; verum vel *Hitzigius* et *Ewaldus* formam verbi irregularem statuerunt in ארזה pro הרזה, qua opus prorsus non est, vertuntque ille destruit, denudat, hic „zerhackt, zerknackt“ corvi verba crocitantis.

Postremo memoranda est quam *Kramer* in libr. cit. typis repetiit et summopere commendat, *Jo. Ern. Fabri* dissertatio de animalibus, quorum fit mentio Zeph. II, 14, habita Goettingae 1769. Qui quum et ipse explicatione vulgari contentus non sit, argumentis undique collectis vocum notionem vulgarem vel negat vel adhibendam esse infitiatur, qua ratione demonstrare studet קאת esse cornicem, קפוד erinaceum, חרב chamaeleontem, ישרר felem, כי onocrotalum, ארזה lyncem, ערה struthiocamelum, et interpretatur: „cubabunt ibi greges atque cuiusque generis ferae; cornix et erinaceus in laquearibus ipsius pernoctabunt; clamabit felis e fenestra; chamaeleon apricabitur in limine, onocrotalus, lynx, struthiocamelus ibi habitabunt.“ Qua

interpretatione commemorata, officio nostro satisfecisse putamus, quum quod *Kramer* mirabatur, neminem *Fabri* vestigia premere voluisse, haud ita mirum videatur.

Haec autem descriptio pulcherrime opponitur Ninivitarum luxui; apparebant enim in palatiis principes nobilesque, audiebantur musicorum concentus ad voluptatem compositi, frequentabantur magnatum limina ac fores a clientibus, hospitibus, parasitis — quae omnia mox in tristissimam faciem commutabuntur.

v. 15. *Haec est urbs illa exsultans, habitans secure, dicens in corde suo: ego et defectus mei amplius! Quomodo redacta est in vastitatem, cubile bestiis; omnis qui transiverit eam, sibilabit, agitabit manum suam.* Post eversionem urbis, quam factam vates oculo prophetico cernit, quasi insultans ruinae eius loquitur. Quantopere autem Judaeorum animos commoverit necesse est, urbem illam, quamvis opibus suis freta communi hominum sorte exemptam se putaverit, ac si fundata fuerit in nubibus, tamen dei manum effugere non posse, sed ita jam certam esse destructionem eius, ut irrideatur! — זאת est enuntiationis subjectum. — העליזה cf. III, 11 et Jes. XXII, 2. XXIII, 7. XXIV, 8. XXXII, 13; laeto rerum successu gaudens, superbiens, exsultans. — יוֹשׁבת et quae sequuntur prioris hemistichii, eadem leguntur Jes. XLVII, 8 de Babele dicta; consensio tanta est, vix ut dubitari possit, quin, quod etiam *Hitzigius* Jesaia p. 529, contendit, alter rationem habuerit alterius. Verba autem apud Jesaiam tam cum antecedentibus, ubi dicitur Babel non reposuisse illa in corde suo, nec meminisse finis ipsius, quorum priori respondet id quod dicit in corde, posteriori quod non habitabit vidua; quam cum sequentibus, ubi v. 10 utramque hemistichii partem accuratius explicat, adeo cohaerent, ut Jesaiae propria videantur. Accedit, quod usus vocis עוד Jesaiae praecipue frequens, Zephaniae praeterea

alienus est. Zephania igitur verbis illis Jesaiae uti videtur, quibus breviter atque abrupte repetitis eandem, quae Babeli perniciem adductura erat, securitatem atque superbiam urbi Assyriorum, alteri quodammodo Babeli, objicit, eandemque sortem illi praedictam huic cecidisse significat. — לבטח de tuto eius situ atque statu, unde securitas animi superba neque hominem timens neque deum, prorsus contraria piorum tranquillitati Lev. XXV, 18. Ps. IV, 9. Sach. XIV, 11. — האמרה בלבבה cf. I, 12. — אני ואפסי עוד. Quod primum quidem attinet ad formam vocis אפסי, recentiores plerique, cf. *Gesenium* in Thes. s. v., י — putant paragogicum esse; quod quum non nisi nomini constructo adjiciatur, *Gesenius* genitivum sequi contendens vertit: ego sine continuatione, praeter quam non est quae sequatur. At *Hitzigius* bene monet, hunc usum paragogicum certe suspectum esse, quum אפסי non legatur nisi de prima persona; verum ea quam ipse ad locum Jesaiae proponit, sententia vel difficilior est; subaudiens enim negationem vertit: praeter me non amplius; licet negatio, ubi omnis enunciationis sensus ex ea pendet, omitti prorsus non possit, alia est enim ratio vocum כי אם Mich. VI, 8. Retinentes igitur cum *Hizigio* י — tanquam suffixum, propriam vocis significationem indagemus. Haec autem est defectus, quem *Tympius* ad *Noldii* concord. s. v. aliis significationibus omnibus fundamentum esse indicat. Defectus vero convenit nostro loco, qui vertendus est: ego et defectus mei amplius, ipsam igitur non iterum inveniri, in suo genere esse singularem, solam, praeter ipsam esse defectum ipsius; quae explicatio summae superbiae, se solam agnoscenti, prorsus est accommodata atque difficultates grammaticas omnes vitat. Eadem haec notio defectus omnibus quoque aliis locis, ubi אפס legitur, apta est; ita Jes. XLVI, 9: et non est amplius deus et defectus sicut ego, sc. deficit talis

qualis ego; ita Jes. V, 8. XLV, 6. Am. VI, 10. Jes. LIV, 15, ubi *Gesenius* vertit non amplius, praeterea non, non; eadem remanet notio Num. XXII, 35. XXIII, 13 ubi interpretes omnes consentiunt interpretantes: tantummodo, ita explicanda, ut sit: defectus, verbum illud quod loquar ad te, hoc loqueris, deficiente omni verbi alio, hoc loqueris. Deinde באפס est in defectu vel propter defectum, cf. Prov. XXVI, 20 propter defectum lignorum exstinguitur ignis; absolute dictum Jes. LII, 4: Assyrius oppressit eum propter defectum sc. causae, sine causa. Tum אפס כי defectus quod, excepto quod enunciationem praecedentem restringit, Num. XIII, 28, ubi non necessarium est notionem: tamen solam statuere: terra est praeclara, defectus quod populus est robustus; Deut. XV, 4. cf. *Ewaldi* gramm. maj. p. 656. Quae quum ita sint, interpretationem supra propositam etiam magis putamus confirmatam. — Superbiam autem illam urbis, qua semetipsam unam solam agnoscit, in hemistichio priore expositam sequitur admiratio poenae in posteriore. — איך verba haec eadem Jeremias L, 23 de Babele effatur. — מרבץ paucis amplectitur versus 14 partem priorem, sicut vastatio alteram posteriorem. Statui superbo atque securo opposita est vastatio, et verbis arrogantiae testibus signa contemptus. Nam quicunque transit eam, etenim secundum I Reg. IX, 8. Jer. XVIII, 16. XIX, 8 עליה cum transeunte, non cum sibilando conjungendum, ישרק sibilabit cf. Mich. VI, 16, et Jer. XIX, 8, est sonus irridentium, destructionem sequens illi verborum fastui magnopere repugnantem. — יניע ידו agitare manum suam, similiter Nah. III, 19. cf. Job. XXVII, 23, est gestus non tam spernentis atque contemnentis, quam Ps. XLII, 2. Jes. LV, 12 gaudii insultantis; superborum enim atque fastuosorum interitu gaudent omnes.

Vaticinium hoc contra Niniven postremum, quo terri-

bilius descriptum est, eo citius impletum. Ninive enim cf. *Herod.* I, 103. 106. anno 625 a Chr. a Cyaxare et Nabopalassare expugnata est et eversa; et quamvis postea iterum floruerit secundum *Ammianum Marcellinum* XVIII, 7, pristinam tamen majestatem atque gloriam nunquam recepit. Verum haec quoque Assyriorum poena ea est, ut sint etiam ex ipsis futuri, qui in regnum Messiae excipiantur secundum perspicua Jesaiae verba XIX, 24. 25.

In priore vaticiniorum nostrorum parte quae exorsa ab universali dei judicio, summae vastitatis spectaculo finem imponit, rarissime tantum gratiae sol per densam irae caliginem fulsit; eo ardentius flagramus desiderio partis alterius clariore solis luce splendentis.

CAPUT III.

Dissentiunt interpretes, quo modo cp. nostrum cum praecedente sit conjunctum. Quamvis enim obsoleta sit ea sententia, cuius olim pervagatae apud *Theodorum Mops.* vestigia deprehendimus, quae initium capitis ad Niniven relatum verba irridentis usque ad v. 7 continere existimet, fuerunt tamen haud pauci, non modo *Cocceius*, verum etiam *Tarnovius*, *Marckius*, *Michaelis*, qui vatem uno atque perpetuo tenore sermonem continuare rati, quae jam proferantur, ad templi secundi tempora referant, supplicium ad Romanorum imperium, salutem ad Christi incarnationem, cuius partes singulas magis minusve accurate significatas invenerunt. At rationes eorum pleraeque falsa vaticinationis notione nituntur, quum quae de felice Messiae regno proferantur, post eversionem illam statim omnibus ex partibus implenda esse existiment. Nos autem supra vidimus, vatum oculis tempus regno divino futurum eo spectaculo apparuisse, ut temporum ratione raro habita rem tantum proponerent; quare nos quidem non offendit, destructionem Hierosolymorum per Chaldaeos factam sequi gentium conversionem; destructio enim illa est pars quaedam ultimae destructionis, quae adducet conversionem gentium, quatenus per ipsas licet, perfectam; nec minus paucorum post Israelitarum captivitatem conversio perfectam illam quasi annunciat, praeparat. Ve-

rum enimvero non modo rationes illae extabuerunt, sed etiam initium capitis nostri, increpationem incipiens acclamatione cum antecedentibus non cohaerente, novam jam incipere partem indicat. Et profecto priori illi oraculo omnibus numeris absoluto nihil vidimus deesse, quod oraculi notio postulet, quod idem valet de posteriore hoc oraculo, acquiescente in Israelitis, quorum peccata jam brevius nuntiantur et post poenam salus laetius proponitur.

Secundum igitur vaticinium, ad Hierosolyma denuo se convertens, primum peccata eorum sedulo cohortans reprehendit v. 1—7, deinde promissiones splendidissimo Messiae tempore replendas promulgat v. 8—20.

v. 1—7.

Exorditur autem ab exclamatione generali, ipso urbis aspectu provocata, v. 1; quae quam iusta sit, singulis peccatis enumeratis ostendit v. 2; quae tamen pravitas aucta est praecipue degeneratione eorum, quibus respublica administranda erat, principum et judicum, status politici ratione habita, v. 3, prophetarum et sacerdotum v. 4 in statu ecclesiastico primorum; cui pravitati deus mederi studuit tam justitia sua tanquam exemplo proposita v. 5 quam peccatorum poena in gentium excidio manifestata v. 6; populus vero ab adducenda facinorum suorum poena retineri noluit v. 7.

v. 1. *Vae rebelli et pollutae, urbi opprimenti.* Vates alloquitur Hierosolyma, ubi erat sanctuarium, et quae ideo prae aliis urbibus videri poterant excellere, quum non frustra deus illam sibi sedem elegisset; quare diras ei imprecans, unde ceciderit, indicat voce מראה. Quae vox quum alias non legatur, interpretes alii alia ratione eam intelligunt. Alii putarunt, vatem priusquam vituperationem incipiat, laudem urbis dignitatemque proponere, ut contrarium eo magis sub oculos cadat, ita LXX ἐπιφα-

νῆς, Syr. ܡܕܝܢܬܐ ܡܚܘܝܬܐ urbs nota, ut sit Hophal verbi ראה, et paullo aliter *Cocceius* urbs cui videndi, scilicet deum, copia facta est, quod notioni formae Hophal magis convenit cf. Ex. XXV, 40. Verum et forma aliquantulum est mutata atque irregularis, et sensus post הוי vel vituperationem flagitat vel laudem apertius indicatam. Alii igitur increpationem statuentes, et ipsi in varias sententias abierunt. *Hieron.* tradit: provocatrix vel amarum faciens, scilicet deum clementem; sed a radice מרר vox derivari non potest. *Drusius* vertit: παραδειγματιζομένη, infamiae exposita, sicut Nah. III, 6; verum et formae Hophal vis activi inest: qui videre factus est, videt, et usus vocis ראה, quam usurpat, vix inveniatur. Recentiores igitur vertunt rebellem, vel א tanquam matrem lectionis radici מרה insertam esse rati, quod tamen exemplis minus probatum est *(Cölln. Rosenm.)*, vel alteram radicis formam מרא respicientes *(Antonius, Burkius, Gesenius)*, quae legitur Job. XXXIX, 18 notione se efferendi, rebellandi. Quam *Hitzigius* et *Maurer* formae huius rarioris causam afferunt, ut distinguatur a מורה novacula Jud. XIII, 5. Ps. IX, 21, in hoc sententiarum nexu vix putaveris valere. — נגאלה *Hieron.*, *Cocceius* vocem praecedentem laudem continere opinati, vertunt redemtam, ut significentur Hierosolyma priori captivitati erepta, sed sicut antea ita hic quoque opprobrium exspectamus. Legitur autem גאל Jes. LIX, 3. LXIII, 3. Mal. I, 7. 12. notione polluendi, quare est polluta, inquinata. Munditi es Israelitis legibus ritualibus haud paucis praescripta, signo externo deum pure sancteque colendum esse docebat; jam vero etiamsi videri poterant purissimi, dicuntur polluti, quia scilicet tota agendi atque degendi ratione se profanabant. — יונה LXX et qui eam sequuntur, virtutem postulantes vertunt columbam; at vero legimus formam hanc eandem Jer. XXV, 38. XLVI, 16. notione

opprimentis, quippe qua Pentateuchus Ex. XXII, 20. Lev. XXV, 14. Deut. XXIII, 19 neque servos neque egenos neque peregrinos affligendos esse docet sed amore atque misericordia adjuvandos, cui legi urbs haec peccatrix atrociter renititur cf. v. 3. Jam vero negari nequit, interpretationem illam veterum qui laudes explicant verborum usui non repugnare, quamvis nexui sententiarum alienam eam cognoverimus; tantum igitur abest, ut illos, sicut recentioribus placuit, omnino negligamus, ut hanc verborum ambiguitatem a Zephania velut consilio petitam esse existimemus. Ita enim verba ipsa Hierosolymis tam gloriam a deo iis paratam quam calamitates ab ipsis adductas inculcant. Hac autem ratione sola apparet, cur formam מוראה vates elegerit; respicit enim nomen montis מוריה, cuius etymologiam conferas in *Hengstenb.* Beiträge II, p. 263, et *Gesen.* Thes. s. v. prorsus convenientem explicationi *Cocceji* supra allatae. Primum igitur crimen omnium sequentium summam continet; quam Jehova sedem sibi elegit, quum foedus cum Abrahamo icturus apparuisset neque unquam foedus fregisset, ea defecit, atque sanctum illud nomen non amplius conveniens in criminationem convertit. — Grammatice *Hitzigius* putat participia priora significare ea, quae de urbe in vocativo posita praedicentur; verum vocativus et in universum articulum haud necessario flagitat cf. *Gesenii* Lehrgeb. pag. 654 et הוי saepissime eum, cui quis exsecratur, sine articulo infert; quare urbem ipsam tanquam epexegesin a vate additam esse existimamus. Ecce imaginem Hierosolymorum brevem quidem, sed acrem atque insignitam!

v. 2. *Non est audiens dicto, non suscipit disciplinam; in Jehova fiduciam non collocat, ad deum suum non appropinquat.* Cur vates populum v. 1 tam dire increpuerit, jam quatuor rationibus demonstrat. Vera pietas omnis incipit a docilitate, etenim ut initium et fundamentum to-

tius salutis est verbo domini cum fide auscultare, ita omnis perniciei fons est, illud contemnere. — בקול subaudiunt plerique cum *Chald.:* servorum suorum, prophetarum, verum prorsus nihil subaudiendum est, quum nobis quoque sufficiat, si quis dicitur non obediens esse, quod vitium necessariam ex nexu sententiarum definitionem accipit. ב ostendit non solam auditionem cogitatam esse, sed eam quae acquiescat quodammodo in verbo audito, atque facto appareat, cf. Deut. XXVI, 13. — Qui dicto non audiens peccat, castigandus est, quare in quo aliquantulum restitit pietatis, is peccata confessus poenitentiam agit; urbs vero non suspicit מוסר disciplinam, quae vox rarius usitata Proverbiorum libro propria est, cf. Prov. XXIV, 32, deinde ab Jeremia usurpata, qui totum hoc hemistichium repetit VII, 28. — Urbs, disciplinam non accipiens in deo, quem peccando neglexit, fiduciam ponere nequit, quare promissiones eius amplissimas non amplectitur, sed vero spei fundamento Jer. XVII, 7 rejecto falsum jaciens, vel manuum suarum figmentis, idolis, vel hominum auxilio, Aegyptiorum, Assyriorum virtute nititur. cf. I, 12. — Hac autem agendi ratione deum non amplius deum agnoscit; qui quamvis ipse se urbi deum obtulisset, Lev. XXVI, 12, innumeris beneficiis foedus tunc ictum confirmasset sibique semper acceptum remansisse re ipsa exhibuisset, tamen a populo ita spretus est atque contemtus, ut non accederet ad ipsum, sicut par erat, veniam petens, pie vivens, sincere colens, sed neglecta foederis condicione, coniunctionem inter deum et populum dirimeret. Ita quae v. 1 in universum erant praedicata, praeclare explicantur, quum vates ab infimo pietatis gradu incipiens totum populi habitum persequens foedus ruptum esse demonstret. Eo magnificentior est gratia dei, quae nihilominus rebelles revocat. קרב cf. Jes. XLVIII, 16. LVIII, 2. et Jac. IV, 8.

v. 3. *Principes eius in medio eius sunt leones rugientes, iudices eius lupi vesperis, non exossant mane.* Quod ita de universa valet urbe, vidimus I, 4 et 8 praecipue in iis locum habere, qui primas tenent in statu politico et ecclesiastico verum dei cultum vel docturi vel sustentaturi. Increpantur igitur utrique et primum quidem gubernatores politici, in quibus peccata v. 1 castigata praecipue manifesta sunt. Sunt vero duo gubernatorum genera, et rem publicam administrantium, et ius dicentium, principes atque iudices. Principes autem sunt אריות שֹׁאגים. Constructio non est ea, ut vertas: principes eius tanquam leaenae rugiunt, *Rosenm.*, ubi comparandi particula omissa esse non posset, neque etiam cum *Coellnio* haec particula subaudienda est, sed principes ipsi sunt leones rugientes. שֹׁאגים cum plur. fem. conjunctum non offendit, quum אריות formam tantum fem. assumserit, genus mascul. retinuerit cf. *Ewaldi* gramm. maj. pag. 323. Leones sunt illi crudelitate et saevitia; sicut enim leones reliquis animalibus rugitu terrorem incutiunt eaque esurientes discerpunt, ita principes mandatis suis subditos perterrefaciunt, facultates eorum velut unguibus et dentibus rapiunt, dilaniant, devorant. cf. Prov. XXVIII, 15. Am. III, 4. 8. Nah. II, 12. Ezech. XIX, 1 et I Petr. V, 8. — Sequuntur judices, quos oportuit judicia ex legis praeceptis exercere, verum illi non ius, sed commodum suum quaerentes Mich. III, 11 fuerunt זאבי ערב, quos LXX errore satis perspicuo lupos Arabiae interpretatur. Sunt autem lupi vesperis, quippe qui postquam fame per totam diem in rabiem versi sunt, sub noctem cf. Ps. CIV, 20 truculentius grassentur, cf. *Boch.* Hieroz. I, 3, 10 pag. 820. *Bochartus* affert etiam Hab. I, 8, unde Zephania imaginem mutuatus esse potest, et Jer. V, 6. Mirum profecto est viros doctissimos *Gesenium* et *Winerum* eum adeo secutos esse, ut propter

Jeremiae locum formam pluralis ceterum nusquam obviam formarent ערבות, quum, id quod *Hitzigius* bene monet ad locum illum, neque nova forma tam facili negotio sit accipienda', neque loci sententia cum lupis ערבות conjungens אריה מיער aliam notionem vocis postulet quam eam quae vulgo legitur desertorum cf. Ps. LXVIII, 5, optime leoni ex silva respondentem. — Lupi igitur famis rabie sunt judices illi, et tantopere quidem ut לא גרמו לבקר. גרם est denominativum a גֶּרֶם exossare, sicut Num. XXIV, 8. Ezech. XXIII, 34, qui vespertinam praedam statim devorant, ut mane ne ossa quidem rodenda reliqua habeant. *Coellnius* autem et praecipue *Gesenius* in Thes. s. v. comparant ܓܪܡ et جرم vertuntque cum veteribus abscindere, resecare, quod facile ad notionem recondendi referatur cf. Deut. XXIX, 20. Verum notio illa Hebraea tam apta est, vix ut alia videatur opus esse. Quod *Coellnius* putat לבקר non esse mane, sed in diem crastinum, locis Ps. LIX, 17. Jer. XXI, 12 refutatur, ubi notio: mane satis perspicua est, cf. etiam *Ewaldi* gramm. maj. pag. 602. Ii autem, qui mane non exossant, tanta ducuntur praedae cupiditate, ut vespere non modo quae facilius petuntur devorent sed vel ossa derodant, quod solent ardentissimo edendi appetitu sedato diei crastino reponere. Quocirca judices lupi non tam propter studium, negotia quam primum finiendi, sed propter ardorem, quo ex avaritia insatiabili nulla iustitiae habita ratione muneribus inhiant. cf. Ezech. XXII, 27. De criminibus his etiam ab aliis prophetis principibus et judicibus saepissime objectis cf. Mich. Jer. Ezech.; bene *Calv.:* „non parcit interea promiscuo vulgo, sed ostendit omnes ordines fuisse tunc corruptos, quia etiamsi in plebe nulla justitia vel aequitas colatur, manebit tamen aliquis pudor in ipsis iudicibus, ut saltem conti-

neant populum in officio; sed ubi latrocinium in ipso foro exercetur, quid iam de tota urbe dicendum erit?"

v. 4. *Prophetae eius sunt leves, viri perfidiarum; sacerdotes eius profanant sanctum, violant legem.* Eiusdem farinae sunt, qui in statu ecclesiastico sunt primi, quos cum deceat, principes illos atque iudices reprehendere, cum iis colludunt flectuntque religionem pro illorum arbitrio. Sunt autem horum quoque genera duo, alteri sacerdotes, dei ministri hominumque apud eum intercessores, alteri ex quo ministri ordinarii muneris sui fuerunt immemores, extraordinarii munere illorum quamvis non externo tamen interno fungentes. Hi igitur primo loco nominandi sunt פוחזים. LXX interpretatur πνευματόφοροι, quod Arab. روحا لابسوا ventosi, tumidi, sicut فخر falso gloriari, superbire cf. *Schultensii* opera minora ed. Lugd. Batav. 1769 pag. 80 et *Gesenium* s. v. Cum legatur vox Jud IX, 4 simul cum ריקם, deinde nomina inde derivata פחז Gen. XLIX, 4 et פחזות Jer. XXIII, 32, respondeant nomini שֶׁקֶר, *Coellnius* notionem vacuitatis primariam statuit, unde sequatur mendacii, fraudulentiae. Verum et analogia dialectorum et loci illi omnes levitatem indicant, quae saepe quidem conjuncta est cum nimio sui amore ex *Hitzigii* sententia, proprie autem fundamentum certum agendi rationi deesse indicat, sicut Jeremias XXIII, 32 epexegeseos loco explicat: „ecce ego super prophetas somniorum mendacii, dictum Jehovae, qui errare faciunt populum meum mendaciis suis atque levitate sua, ego vero non misi eos neque mandavi iis, neque utilitati erunt populo huic, dictum Jehovae"; neque igitur a deo missi sunt, quae est prophetarum auctoritas atque indoles, neque proficiunt aliquid, quae est causa, cur mittuntur. — Levitas haec accuratius explicatur, quoniam deficiente propria prophetarum indole munere fungi nequeunt suntque אנשי בגדות. בגד est proprie tegere, ab-

scondere, simulare, inde dolose, perfide agere, praecipue de coniuge maritum deserente atque de hominibus deum perfide deserentibus; forma non significat abstractum sed singulas indicat actiones impietatis, quibus illi contra deum peccant. Sunt igitur prophetae non solum leves carentque auctoritate divina, sed ipsi quoque, quos oportuit populum foedifragum reducere, perfidiae se exhibuerunt auctores atque fautores. Apparuit autem perfidia illa, qua simulationis pallio nequitiam suam tegebant, nomen quod sibi arrogarunt sanctum polluebant, quum dei minas vanas esse dicerent atque populo impio tempora promitterent feliciora deditumque flagitiis de salute securum redderent. cf. Mich. II, 11. III, 11. Jer. XXIII, 17; quibus promissionibus fictis securitatis spe lactantibus populus libentius aurem praebuit, quam severis prophetarum sincerorum castigationibus atque minis metuendis; quapropter hi contemti erant acriterque vexati, quum illi, licet cladium et captivitatis auctores cf. Thren. II, 14, praemiis donisque ornarentur. — Horum autem arrogantia, quam non vocati ex suo sibi arbitrio vindicabant, populo eo magis fuit periculosa, quoniam ministri dei ordinarii munere suo non fungebantur. Sacerdotes instituti erant, ut sanctitatem, quam totum populum oportebat exhibere, ipsi vitae communis curis negotiisque alieni repraesentarent, quare in sanctuarii partem alteram, sanctum, proprie populo in loco conventus dei cum populo suo destinatum, sacerdotibus intrare licuit solis. Hos igitur oportebat Lev. X, 10. 11 „separare inter sanctum et profanum, et inter purum et impurum; et docere Israelitas omnes leges quas locutus est Jehova ad eos per Mosen." Quaeritur quid sit sanctum. Hoc autem indicatur capite Levitici XIX, quod si accuratius esset cognitum, externae illae legis Mosaicae explicationes quam sint arbitrariae atque fictitiae,

maximam partem ex ignorantia legis profectae, diutius iam omnium consensu esset concessum. Illic vero quasi in fronte totius legislationis constitutum est „sancti estote, nam sanctus sum ego deus vester“; deinde sequuntur leges mox sanctitatem atque puritatem leviticam constituentes, mox cordis sanctitatem postulantes talem, qualem recentiores haud pauci a Christo demum in oratione in monte habita propositam esse opinantur. Hinc autem apparet ratio, quae intercedit inter utramque illam sanctitatem; interna est finis a legislatore petitus, quae tamen, quae hominum fuit *σκληροκαρδία, εἰς ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν* etiam externe quasi symbolo atque imagine erat docenda. Haec autem symbola non erant obscura, populi captum superantia, sed sanctitatis cordis signa unicuique aperta. Quin etiam hanc ipsam ob causam sacerdotes erant instituti, ut discrimen illud, quod intercedit inter sanctum et profanum, non modo externe traderent, sed etiam quo fundamento niteretur, semper denuo inculcarent, atque explicarent legem, qua deus ipse quam benigne homines ad sanctitatem suam adducturus est testatur. Quae quum ita sint, posterior muneris pars proficiscitur ex priore, et quam concedimus legi rationem externam atque internam, quam dicunt ceremonialem atque moralem, eandem sanctitati tribuamus necesse est lege tanquam typo expressae. Verum sicut nulla lex ceremonialis separanda est a morali quam est propositura, sic sanctitas atque puritas levitica seiungenda non est a sanctitate atque puritate cordis, quam illa est doctura atque adductura. Duplex igitur sacerdotum officium interno coniungitur vinculo. Verum ipsi חללו קדש. Sanctum autem non solum est sanctuarium *(Maur.)*, sed omnes omnino res sacrae et propter Ezechielis XXII, 26 epexegesin, et propter notionem sancti supra explicatam. Sanctuarium saepius voce מקדש si-

gnificatur cf. Ezech. XXIV, 26. — Sequitur muneris sacerdotalis pars altera, qua legem divinam asservabant et interpretabantur, cui salvo dignitatis ipsorum gradu deesse non poterant. Ideo חמסו תורה, vim inferunt legi, violenter eam torquent, callida et perversa interpretatione sensum corrumpentes, prout ipsis lubet; cuius violentiae exempla praeclara praebet novum testamentum, tota fere oratio Christi in monte habita Matth. V. VI. Marc. VII, 10—13. Haud negligendum est, v. 3 vatem bis posuisse imagines, rei foeditatem descripturas; haec autem peccata tanta sunt, ut nominasse ea sufficiat.

v. 5. *Jehova iustus est in medio eius, non facit iniquitatem; quovis mane iudicium suum profert in lucem, nec scit iniquus pudorem.* Statui populi corrupto v. 1—4 descripto opponitur jam dei iustitia. Lex in v. antecedente nominata verbum illud dei „sancti estote, sicut ego sanctus sum," in mentem revocaverat; quod deus eo magis potuit flagitare, quum populo peccanti nunquam exemplum suum detrectasset. Quae verba sunt etiam magis efficacia, quoniam legis doctrinam ipsam respiciunt cf. Deut. XXXII, 4. „dei opus est perfectum, nam omnes viae eius sunt ius; deus fidelis et expers iniquitatis, iustus et probus ipse est." — לא יעשה עולה interpretes plurimi quum relationem ad Deut. negligant verbaque de deo dicta iis non conveniant, deum interpretantur non commissurum esse, ut populi peccata abeant impunita *Rosenm. Coellnius*, quod *P. Ewaldus* facilius assecutus esse sibi videtur voci עשה notionem tegendi tribuens, cui sententiae mirae vel v. 13 repugnat. Verum et nervosius et verborum sensui accommodatius dei iustitia primum sermone aiente, deinde negante docetur. — Haec autem dei natura perspicua fit ex operibus eius. בבקר repetitum neque velocitatem indicat (*Theodor. Mops.*), neque loquentis affectui vel dictorum confirmationi adscribendum

est, sed vim habet distributivam cf. Ex. XVI, 21. Lev. VI, 5. — יתן. לאור cf. Jes. LXII, 1. Ps. XXXVII, 6 praecipue Hos. VI, 5; pariter ac sol oritur singulis matutinis, ut homines vivant degantque sub luce eius, ita deus quotidie judicium suum lucem populo producit, cuius splendore illuminati pie vivant. — משפטו. Duplex est notio vocis משפט, altera judicii, altera juris; quarum alii aliam secuti sunt interpretes. Etenim *Lowthius*, *Rosenm.* explicant legem, quae quovis mane in foro recitanda fuerit, et per prophetas dei hortando et monendo per singulos dies inculcanda, ut populum ad meliorem frugem vocarent; verum illud factum esse locis vulgo allatis Jer. XXI, 12. II Chron. XXXVI, 15 non demonstratur, hoc definitionem verbo addit, quam contextus non satis confirmat. Quamvis igitur notioni iuris locus Deuteronomii allatus faveat, tamen huic sententiarum nexui iudicium magis convenit. Quin etiam versus sequens post iudicia dei in universum nominata singula monstrat exempla eorum. Justitia autem dei cum hominibus agens apparet non nisi iudiciis latis, quae tam in rebus vitae fatisque minutis quam in sorte civitatis universae conspicua sunt. Et haec quidem iustitia populo rebelli quotidie se offert, quum non minus sua quisque sorte experiatur, utrum deus propitius sibi sit an iratus, quam aliorum et hominum et civitatum fatis discat deum tribuere suum cuique. Quod quamvis nunquam dubium esse possit, atque deus rependat homini secundum facinora ipsius, praecipue tamen sub veteris testamenti oeconomia ratio, quae inter hominem atque deum intercessit, certum adduxit sortis eventum vel laetum vel tristem etiam carnis oculo conspicuum, adeo quidem ut pauca contrarii exempla liber Jobi explicare studeat; quare nisi quis conniveat, dei iudicia atque iustitia lux ei sunt, quae illuminat ducitque eum in vitae tenebris. cf. *Cyrilli:* „πρωῒ πρωῒ ποιήσει

τὸ κρῖμα αὐτοῦ, τοῦτ' ἐστὶν, ὄρθρον τε καὶ ἐμφανῶς καὶ ὡς ἐν ἡμέρᾳ λοιπὸν, οὐκέτι συστέλλων τὰ τῆς ὀργῆς, ἀλλ' εἰς μέσον ἄγων, καὶ ἐμφανῆ καθιστὰς καὶ οἷον εν οψει τιθεὶς τὰ προεπηγγελμένα." — לֹא נֶעְדָּר. Subjectum non est judicium divinum id quod *Rueckertus* indicat sed deus ipse, membri antecedentis subjectum. Praeterito sine copula vates utitur non solum (*Hitz.*) quoniam explicatio tantum sine cogitandi progressu adiicitur, sed quoniam ad experientiam provocat, qua doctus attentus quisque intellexerit, deum nunquam officio, immo naturae suae defuisse. cf. Luc. XXII, 35. — Tantum vero abest, ut populus meliora edoctus emendetur, ut ne erubescat quidem. עַוָּל iniquus, cui iniquitas quodammodo in alteram naturam abiit, opponitur deo, quem ne ullam quidem iniquitatem facere vidimus. Dei igitur exemplum frustra proponitur, quum nullo tacti pudore in sceleribus suis perseverent.

v. 6. *Excidi gentes, vastatae sunt turres earum, desolavi plateas earum, ut nemo transeat; deletae sunt urbes earum, ut non sit vir, ut non sit incola.* Id quod deus exemplo suo proposito assequi non potuit, sperare oportebat, fore ut Judaei iudiciis divinis in aliis gentibus spectatis aliena calamitate edocerentur, quae totidem exempla praebebat ipsos revocatura. — גּוֹיִם non sunt gentes illae, quarum excidium cp. II, v. 4—15 futurum descriptum est, neque etiam decem tribus in exilium deductae (*Grot. Thein.*), quas vates si גּוֹיִם nominasset, magis perspicue indicasset, sed et veteres Palaestinae incolae et omnes omnino gentes, quas impias excisas jam tum historia haud paucas docuit. — פִּנּוֹתָם sunt qui secundum Jud. XX, 2. Jes. XIX, 13 principes esse putent, quibus non tam repugnat vox נָשַׁמּוּ, quam *Hitzigius* de hominibus dictam putat non satis gravem esse quum attonitos tantum indicet; quae tamen Jer. IV, 9 de sacerdotibus

dicta attonitos atque stupefactos non per se sed fervido dicendi genere, facile exaggerante, significat, quum *Hitzigius* eodem jure dicere posset, אבד illo loco non esse perditum, sed attonitum; quam repugnat iis nexus sententiarum. Anguli platearum, quos *Hitzigius* explicat, minus convenire videntur, quum mirum esset, in media urbe nos positos esse, quae ne memorata quidem est; turribus autem, quas in murorum angulis aedificatas esse cognovimus cf. cp. I, 16, nominatis ducimur ante urbes, quarum deinde plateae bene dicuntur desolatae מבלי עבר cf. Jes. XXXIV, 10. Jer. IX, 11. cf. II, 4 quia non est transiens; hic quoque notio praepositionis מן causalis est retinenda. — נצדו. צדה est insidiari, venari Ex. XXI, 13. I Sam. XXIV, 12, quare niphal est insidiis captum esse, quo accedit usus Syrorum et Chaldaeorum vocem de desolatione in universum usurpans. Nexum inter utramque significationem non est cur negemus, quare neque statuendum est cum *Coellnio*, vocem pro נצתו apud Jeremiam saepe obvio mero orthographiae vitio scriptam esse, neque nova eademque artificiosa etymologiae ratio cum *Maurero* quaerenda. Repetitur, neque virum neque incolam in urbibus esse relictum, ut quo terribilius exaggeretur gentium calamitas, eo magis appareat, Judaeos oportuisse inde considerare, quam certo poena ipsis quoque annunciata esset ventura et quam stultus esset legis verbique divini contemtus. Deprehendimus igitur eandem, quam ad cp. II, 4 commemoravimus, prophetarum consuetudinem, qua Judaeos territuri gentium sortem monstrant, quarum culpa multo minor quam Judaeorum foedere deo obstrictorum.

v. 7. *Dixi, modo timebis me, admittes disciplinam, neque excidetur domicilium eius, omnia quae mandavi contra eam; verumtamen summo studio corruperunt facinora sua.* Deus exemplo suo proposito, ut populum

rebellem reduceret, iam exspectabat, fore, ut populus ad ipsum rediret, veroque timore ipsum coleret, quare אמרתי haud aliter atque in Jesaiae verbis V, 4 „quid amplius facere debuerim vineae meae, quod non praestiterim, exspectavi ut proferret fructum et protulit labruscas.“ — אך *Winerus* bene ostendit semper esse modo, tantummodo, quo omnes illae octo significationes, quas *Noldius* l. c. affert, sunt referendae. Ita hic deus cogitat, nihil amplius relinqui nisi populi reditum. cf. Gen. XLIV, 28. — תראי futuri forma non est ex *Hitzigii* sententia mandati mitigatio, quum vel in lege data adhibita sit, sed indicium certae expectationis; deus enim quasi hominis personam induit, cuius spes, firmissimis argumentis nisa, nihilo secius fallitur. Timor dei, qui est vel filii vel servi timor, omnia, quae hominem decet deo exhibere, continet. — תקחי מוסר cf. v. 2. Duo haec membra respondent duobus hemistichiis versus secundi; obedientia enim et assumtio disciplinae manifestavit fiduciam in Deo positam aditumque ad ipsum; fiduciam autem et aditum amplectitur timor dei, sicut non obsecuti demonstrant novae obedientiae consilium disciplina assumta. Disciplina supra in universum nominata jam secundum v. 5 et 6 satis est definita. — Minus accurate *Lutherus:* „Timor dei secum affert fidem, humilitatem cordis, ut revereamur maiestatem domini. Disciplina externos mores complectitur, ut modeste vivamus, inserviamus alius aliis per caritatem. Haec summa est et scopus omnium prophetarum.“ — Pulcherrime in verbis sequentibus persona mutatur מעונה, non solum ex solito vatum more ex *Coellnii* sententia, sed quoniam deus decretum profert, quod populo resipiscenti constituere summo desiderio studet. cf. ad II, 12. — מעון interpretes permulti, veluti *Hitzigius*, *Maurer*, explicant de domicilio urbis, quod urbi huc usque nominatae de incolis tantum intelligendae opponatur. Quam-

vis autem haec universalis vocis notio locis nonnullis legatur Nah. II, 12. Jer. XLIX, 33. LI, 37, tamen aliis locis omnibus de sede Jehovae dicitur, quae proprie in coelis locum habet Deut. XXVI, 15, deinde quum deus habitet in medio populo suo, Hierosolymis constituta est, quapropter מעון fere semper legitur de templo atque Hierosolymis; etenim Jer. IX, 10. X, 22 vis verborum multo est maior, si relationem ad sedem Jehovae in sedem serpentum mutatam retinemus. Quocirca quum usus linguae non de aedibus urbis sed de templo cogitandum esse doceat, id animadvertimus indicatum, quod dignitatem non modo Hierosolymis, verum etiam Israelitis in universum eorumque terrae sanctae praebuit, deum scilicet habitare illic; gravius autem poenae non amplius remittendae indicium dari non potuit, quam sedem dei destructum iri, ita ut ei non amplius sit locus in medio populi; eadem sententia novi testamenti locis permultis explicata I Tim. III, 15. I Cor. VI, 19. II Cor. VI, 16. Apoc. XXI, 3, praecipue inest verbis domini Matth. XXIII, 38: *ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος*. Comparandus est etiam Amos, quem Zephaniae animo observari saepe deprehendimus, qui supplicium Israelitis adducendum IX, 1 a templo facit incipere, quum templum sit spirituale populi centrum, atque symbolum regni divini veros Israelitas amplectentis, perfidos excludentis. — Templo igitur destructo deoque ex sede sua terrestri in coelestem illam repulso, Israelitas omni destitutos auxilio, quippe quod ipsis debilibus atque invalidis in deo repositum fuerit firmissimum, percellit magna calamitatum copia et in capite nostro primo et ab aliis prophetis praenunciata, quare deus, singula non enumeraturus, sed paucis verborum ponderibus omnia complectens adjungit, כל אשר פקדתי עליה. Quo sententiarum nexu neglecto interpretes conjecturarum egregium ediderunt specimen. Omittendi sunt ii,

qui velut *Chald.* פקד intelligunt de bonis illis, quae deus Judaeis destinaverit, quum supra ad cap. I, 8 annotaverimus praepositionem על non gratiae sed irae manifestationem indicare. Subaudiunt vero haud pauci כ ante vocem כל, quod vel ita intelligunt *(Drusius)*, ut cum sequente אכן conjungatur: quo magis animadverti, eo magis perverse egerunt, cui sententiae non modo particularum אכן — כ usus irregularis verum etiam personae mutatio repugnat; vel ita ut כ cum antecedentibus conjunctum vertant *(Anton. Coelln.)*: excidatur habitaculum eius secundum omnia quae decrevi contra illam. Sed neque hac ellipsi opus est neque ea quam *Michaelis* postulat, accentuum rationem secutus et עליה a praecedentibus separans, subaudito לא יבוא: omnia quae decrevi, ne eventum habeant contra eam; accentuum enim valori ea quam supra proposuimus explicatio nihil detrectat. Quare *Maurer* et ipse nihil subaudiendum esse ratus כל אשר interpretatur prorsus ut, quae tamen notio rarius usurpata, si vulgaris convenit, non est expetenda. *Hitzigius* denique constructionem verborum rectam docuit, qua eversioni praecedenti appositionis loco annectuntur; verum quod appositionem dicit calamitates omnes significare, quas destructio domicilii adductura sit, ex nostra explicatione iam ita definiendum est, ut templi destructio non modo sit initium neque summa tantum omnium calamitatum, verum etiam causa, cui eversio urbis necessario consequens anacolutho satis ponderoso additur. — Deus igitur mitissimus, quamvis Judaei iram eius provocassent, paratus erat manum suam retrahere et recipiscentibus ignoscere — at spes eum frustata est, illi summo studio perverse agunt. — השכים, semper retinens vim causalem, est proprie mane aliquid facere, deinde quoniam qui quid ardentissime urget, mane rem aggreditur, summo studio aliquid facere. Conjunctum cum verbo se-

quente in adverbii notionem abit. — הִשְׁחִיתוּ cf. Gen. VI, 12. Deut. XXXI, 29 perdite agere et corrumpere. — עֲלִילֹתָם vox anceps, quum vel de dei operibus usurpetur, cf. Ps. IX, 12, ex nexu sententiarum definitur. cf. Ps. XIV, 1. De hominibus dicta fere semper in accusationibus legitur. Quaeritur, utrum accusativus pendeat ex antecedente verbo vel sit absolute positus. Locus Psalmi posteriorem constructionem commendare videtur, quum הִשְׁחִיתוּ saepe sine objecto legatur notione perdite agendi; verum suffixum voci עֲלִילֹתָם additum, quod deest in loco psalmi, coniunctionem cum verbo praecedente praeferendam esse docet, quare הִשְׁחִיתוּ est corrumpere. cf. *Ewaldi* gramm. maj. pag. 189. — Quae quum ita sint, haud secus ac I, 6 apparet Deum, siquidem re vera deus est iustus, oportere populum supplicio afficere.

v. 8—20.

Jam igitur vates finita populi increpatione, qua omnes reducendi reducti erant ad verum dei cultum, atque impiis non amplius ad dei regnum pertinentibus poena necessaria constituta, jam quicunque ex populo in piorum coetum confugerant, eos alloquens, saluberrimas dei promissiones revelat, quas demonstrat quomodo impleantur v. 8—13, deinde impetu prophetico provectus felicissimam illam aetatem praesentem spectans, Zioni carmine triumphante gratulatur. v. 14—20.

v. 8—13.

Pios vates hortaturus, ut in deo fiduciam ponant, salutem iis parari vaticinatur v. 8—10, paratam describit v. 11—13. Parabitur autem, quum judicium dei contra omnes gentes sit exercendum v. 8, judicii fructus sit gentium conversio v. 9, conversi Israelitas in pristinum statum restituere studeant v. 10. Qua ratione status Israe-

litis parabitur, ubi omnibus peccatis peccatoribusque careant v. 11, ipsi veram ἐκλογῆς indolem exhibeant v. 12, ideoque sorte fruantur, ἐκλογῇ propria, maxime contraria praesenti reipublicae statui, v. 13.

v. 8. *Propterea exspectate me, dictum Jehovae, diem quo surgam ad praedam, nam iudicium meum est colligere gentes, congregare regna, effundere contra eos furorem meum, omnem ardorem irae meae; nam igne zeli mei consumetur omnis terra.* Vel maxime dissentiunt interpretes in prima v. voce לָכֵן explicanda. *Calvinus* enim deum dicit longa tolerantia expertum se nihil apud hunc populum proficere, rejecta clementia tam doctrina quam exemplis flexura, monere, ut poenam huc usque retardatam exspectent. At huic explicationi repugnat notio vocis חכה, quae ubicunque dicitur de deo exspectando, exspectationem indicat fiduciae plenam, salutis certam, cf. Ps. XXXIII, 20. Jes. VIII, 17. XXX, 18; deinde quod sequitur v. 9 כִּי fundamento caret. Alii igitur (*Hitz.*, *Maur.*) exspectationem putant ironice juberi, exspectate modo, non morabor equidem, non frustra exspectabor! At primum quidem ironica illa cohortatio verborum nexui non convenit, deinde quae sequuntur, non ironice sed re vera Israelitis exoptanda sunt; judicium enim contra gentes iis semper laetum, nunquam perniciosum describitur. Sequimur igitur alios veluti *Ewaldum*, qui fidelibus promissionem atque consolationem his verbis contineri agnoscunt. Qua quidem ratione eundem nanciscimur providentiae ordinem, quem omnes depingunt prophetae. Praecedit enim judicium atque supplicium contra Israelitas, quod v. 7 necessario appropinquaturum esse ostenderat. Quamvis autem maxima pars populi a deo defecerit, tamen ἐκλογή residua deum foederis sui memorem esse cogit, quare etsi omnia videantur perdita esse neque quidquam sperandum, deus eos

hortatur, ut in ipso solo fiduciam collocent; quam quidem non vanam irritamque esse inde apparebit, quod omnes gentes puniturus colliget haud aliter ac Joelem eas in valle Josaphat congregare ad II, 4 comparavimus; dei poenam omnes gentes affligentem sequitur conversio earum, conversae Israelitas dispersos summo studio restituent. — Quo rerum ordine perpenso, cohortatio voce לכן incipiens apparet non ironica, sed verissima, maxime consolans; apparet, cur vates fiduciam in deo collocandam inculcet addito נאם יהוה, etenim ubi ex hominum sententia nihil videtur exspectandum, ibi deus auxilii, salutis prospectum praebet pulcherrimum. — Quapropter quod prius in universum tantum voce לי, omnis spei fundamento continetur, id jam accuratius indicatur definitione ליום קומי לעד. Quae verba triplici praecipue ratione explicata sunt. Alii enim vertunt: in testimonium, legentes לְעֵד, ex veteribus LXX, *Syr.*, ex recentioribus *Hitzigius*, verum scriptura si alia valet interpretatio mutanda non est. Plerique igitur (*Hieron.*) vertunt: in perpetuum, qua explicatione ductus *Cocceius*, cum veteribus interpretatus: in die resurrectionis meae in perpetuum, atque omnia capitis nostri membra ad Christum referens, praedictam invenit Christi resurrectionem, qua vitam accipiat immortalem et incorruptibilem; quae quum supra demonstraverimus prorsus rejicienda esse, etiam notionem illam perpetui *Coellnius* ostendit sensum contextui non convenientem praebere, quoniam non liquet, quid sibi velit, deum non altera vice surrecturum neque cladem eius jam infligendam excepturam esse aliam ruinam; deinde לעד ubi significat in perpetuum, constanter cum Kamez scribitur. Itaque melius *Drusius*, *Grotius*, *Coellnius*, *Maurer* vocem עד intelligunt notione praedae. *Ewaldus* (compares خطا auferre et عدا hostiliter invadere, praecipue Chald. עדה incedere)

propriam progrediendi vim retinet, verum Gen. XLIX, 27. Jes. XXXIII, 23 demonstrant Hebraeis praedae vim usitatam fuisse. Cui explicationi *Hitzigius* objicit, עד esse rem non actionem, quare si deus surgat ad praedam, secundum Gen. XXIII, 17. 20 ipsum nominari praedam. Quod non cum *Maurero* ita rejiciendum est, ut praedam pro praedatione positam esse dicamus; sed surgit tanta victoriae certitudine, ut ad praedam jam factam quodammodo accedat eamque auferat. Jehova autem hunc sensum dignum esse, probavit *Coellnius* cum ostendat herois imagine ad bellum properantis saepius adumbrari Jehovam cf. III, 15. 17, et qui bellum inferat, eundem praedae spe atque desiderio ductum esse. Gentes re vera sunt Jehovae praeda; deficientes enim a proprio ipsorum deo atque rege aliisque diis se subiicientes, Jehova, cui obedientiam detrectarunt, victos aeterno tenet ditionis vinculo. — קום de deo militis instar ad poenas infligendas surgente cf. Ps. VII, 7 XVII, 13. Jes. II, 19. — Surget Jehova, quoniam, מִשְׁפָּט, est iudicium eius; cogitandum est enim non de voluntate vel modo, qui cui placeat (*Hitz.*), neque de decreto dei (*Maur.*) quod non est cur ex sententia iudicis derivemus, sed iudicio vel sententia dei iudicis, quam gentium peccata, quae postrema supplicio Israelitis inflicto v. 7 quamvis non nominata sint, tamen necessario subaudiantur, gentibus adduxerunt. — לֶאֱסֹף. Neque de colligendis gentibus ad Hierosolyma obsidenda, neque de reducendis Israelitis dispersis vates loquitur; sed colliguntur, id quod apparet ex sequenti קָבְצִי, ut collectos puniat deus. Remanet igitur propria congregandi notio, quam I, 2 et 3 accuratius vidimus definitam. — לִשְׁפֹּךְ causam indicat cur gentes colligantur, regna congregentur, ut deus ardorem suum effundat. — עליהם sunt omnes regnorum incolae, omnes omnino gentes; Judaei autem secundum ea, quae

supra explicavimus, cogitari non possunt, quamvis *Eichhornius* vel textus verbis eos inserat. — כי Quod deus proposuit iudicium, id iam paucis verborum ponderibus vates complectitur, iisdem utens vocibus, quas ad I, 18 vidimus perniciei certitudinem exprimere. Alterum hoc כי priori est igitur coordinatum, ita ut eandem sententiam proponat. — באשׁ cf. I, 18 et praecipue Jes. LXVI, 15. 16; quem locum Zephaniae propter frequentes ad idem hoc caput allusiones iure concludimus obversatum esse, quum de eodem contra omnes gentes iudicio agatur. — הארץ quae I, 18 de terra Judaica intelligenda erat, iam est totus terrarum orbis.

Sententiam versus nostri a multis recte non intellecti egregie perspexit *Theodorus Mopsuestenus: καὶ διατελεῖτε δὲ πρὸς ἐμὲ ἀφορῶντες καὶ τὴν παῤ ἐμοῦ βοηθείαν ἀναμένοντες, ἣν κατὰ καιρὸν ὑμῖν παρέξω, ὡς ἐκ νεκρῶν ὑμᾶς ἀνίστων καὶ ἀπαλλάττων μὲν τῆς αἰχμαλωσίας, ἐπανάγων δε πάντας ὑμᾶς ἐπὶ τὰ οἰκεῖα. Τότε γὰρ δὴ μάλιστα σαφῆ τὴν κρίσιν ἐπιδείξομαι τὴν ἐμὴν, ἣν ὑπὲρ ὑμῶν ποιήσομαι τοὺς πανταχόθεν ἀθροιζομένους τῶν ἐθνῶν ὑπὸ τιμωρίαν ἄγων — ὅτι κατὰ τῶν οἰκείων ἐμῶν τετολμήκασι τοσοῦτον.*

v. 9. *Nam tum convertam ad populos labium purum, ut invocent omnes nomen Jehovae, ut serviant ei humero uno.* Sequitur jam alterum membrum Israelitarum spei fundamentum praebens. — כי coordinatum priori כי versus octavi idem indicat, quod annotavimus ad II, 11; gentium enim supplicium haud aliter ac Judaeorum poenae eo tendunt, ut deum agnoscant esse deum suum. — אהפך duplici ratione intelligitur aut notione reflexiva aut transitiva. Prior illa, quam *Lutherus* quoque sequitur, interpretatur, deum se conversurum esse ad populos labio puro, scilicet labio servorum suorum atque apostolorum antea non audito; quamvis autem הפך notionem

hanc reflexivam habeat Jud. XX, 39. 41. II Reg. V, 26. Ps. LXXVIII, 9, tamen et rarius legitur, et שׂפה posita sine praepositione vix ei convenit. Vulgaris notio mutandi, convertendi, quam *Coellnius*, *Hitzigius*, *Maurer* constructione praegnante accipiunt, hic quoque retinenda videtur, mutando efficiam vel advertam iis; quem ad usum bene comparant I Sam. X, 9: et convertit ei Jehova animum alium. Voci convertendi eadem significationis ambiguitas inest. — עמים non sunt tribus Israelitarum, sed omnes terrae gentes huc usque sua quaeque idola colentes, cf. Deut. XXVIII, 10. 64. XXX, 3, quae Israelitas ne complectuntur quidem, quoniam de iis sermo prorsus non est. — שׂפה labium contaminatum dicitur, si ex corde impio verba impia super labium profluunt, quod explicat Jes. VI, 5: homo sum impurus labiis atque habitans in populo impuro labiis; quae impuritas tollitur, quum Seraph advolet, prunam sumat ab altari, atque ore Jesaiae tacto dicat: abolita est iniquitas tua et peccatum tuum expiatum. Ita gentium quoque labia impura fuerant idolorum cultui dedita Hos. II, 19. Ps. XVI, 4; iam deus pura ea reddit. — ברורה non est electum sed purum cf. Ps. XIX, 9. Job. XXXIII, 3. Syr. ܒܪܝܪܐ et *Gesenii* Thes. s. v. *Theodoretus*: *καθαρὸν δὲ χεῖλος, τὸ μὴ θεοὺς ἀλλὰ θεὸν ὀνομάζον.* Vix commemoranda est Judaeorum opinio, qui secundum Jes. XIX, 18: die illo erunt quinque urbes in Aegypto, loquentes lingua Canaanaea, puram omnium gentium linguam putant Hebraicam esse, ut una omnes lingua loquantur sicut ante aedificationem turris — quae nostris verbis profecto non continetur sententia. Non tamen abs re deus promittit se conversurum esse labium; deus enim trahit ad conversionem, quam conversi non sibi sed soli deo debent. — Finis labii puri est invocatio dei. קרא בשׁם est nomen dei cum affectu pronuntiare et cum af-

fectu invocare, ita ut affectus in nomine dei, omni scilicet eius manifestatione cf. ad I, 4, quasi acquiescat; quare vox nunquam usurpatur de impiis; cf. I Chron. XVI, 8. Jes. XLIV, 5. Joel. III, 5; dicitur autem cf. Gen. IV, 26 de cultu dei publico atque solenni, qui accuratius praedicitur Jes. XIX, 19 ab omnibus gentibus exhibendus. — Cultus apertius indicatur, quum serviant Jehovae שְׁכֶם אֶחָד. Metaphora deducta est ab iis, qui onus aliquod gestant; nisi enim alter alteri respondeat, onus cadet in terram; at si omnes consentiunt in ferendo, nullo se obducente, portatur humero uno vel aequali; quae metaphora indicat Jer. XXXII, 39 summam unanimitatem. cf. Act. I, 14 ὁμοθυμαδόν. Cultus omnium gentium unanimis est certum conversionis signum.

v. 10. *E regione trans flumina Aethiopiae cultores meos, dispersos meos offerent sacrificium meum.* Jam demum cur Israelitae in deo fiduciam collocent sperentque, ubi nihil sperandum esse videatur, describitur; conversae enim gentes dispersum dei populum colligent atque deo offerent. Quae hic paucis significantur, fusius vaticinatus erat Jesaias LXVI, 20, ubi gentes nominatae v. 19 permultae „afferent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus sacrificium Jehovae in montem meum sacrum Hierosolyma, sicut afferunt Israelitae sacrificium in vase puro domum Jehovae.“ Quem tamen sensum contra multas interpretum explicationes dissentientes defendere oportet, id quod praestabimus singulis vocibus explicandis. — Omnes gentes deum culturae v. 9 erant allatae; jam ut res eo magis sit perspicua, remotissimae nominantur, quoniam si appropinquant vel remotae, propinquae facile accedunt. מֵעֵבֶר לְנַהֲרֵי כוּשׁ ex Jes. XVIII, 1. De terra Cusch cf. supra ad II, 12; flumina autem Aethiopiae sunt, quoniam Aethiopia illa in Arabia sita fluminibus non excellit atque gentes remotissimas vates est

indicaturus, flumina Aethiopiae Africanae, Nilus cum multis eius brachiis, Astaboras et Astapus. מעבר non est trans, sed proprie ex trans, e regione trans flumina, sicut praepositio etiam in loco Jesaiae intelligenda est. — עתרי *Coellnius* explicat multitudinem meam, deflectens a vulgari vocis notione. Verum etiam *Gesenius, Ewaldus, Maurer* qui suffitum, odorem interpretantur, vim ex dialectis derivant, quae Hebraeis aliena est. עתר semper est precari, quod etiam Ezech. VIII, 11 aptum est, ubi recentiores putant suffitu opus esse; etenim qui notionem suffitus in universum tenet, qua est signum precum quae ad deum ascendunt, facile illic intelliget preces nubis suffitus. — בת פוצי filia dispersorum meorum. בת proprie est appositio, quae propter nexum arctissimum in statu constructo ponitur, ita ut neque פוצי sit in genitivo vertendum neque בת mera circumscriptio; est communio dispersorum meorum cf. *Ewaldi* gramm. maj. p. 579. פוץ est part. pual. — מנחתי proprie est sacrificium deo offerendum incruentum, symbolum operum bonorum, quae deo sunt offerenda, quare bene transfertur ad Israelitas, quos quasi fructum conversionis deo reddunt. *Hitzigius* confert I Sam. X, 27. II Sam. VIII, 2, et explicat מנחה signum, quo subjectos se testantur atque deum regem ipsorum agnoscunt; at relatio ad Jesaiae verba, cultus in v. 9 indicatus et cultores praecedentes de sacrificio sermonem esse ostendunt. Suffixum adjungit vim juris quo deus sacrificia postulat. — Harum vocum constructiones, omissis iis, quae falsa vocum ipsarum explicatione nituntur, commemorandae sunt tres potissimum. Prima *Hitzigii:* cultores mei, dispersi mei afferent donum meum, ita ut hic versus ad gentes solas referendus sit, versus antecedentis descriptio amplior. Verum quamvis פליטים ex Jes. LXVI, 19 conferat, tamen Jehova eas vix dixerit dispersos suos, qui est terminus Israelitis proprius;

deinde sententia post conversionem v. 9 memoratam haud ita gravis est; tum praecipue Israelitae in patriam, unde expulsi sunt et quo reduces eos videmus v. 11—13, non reducuntur. Altera igitur interpretatio foret: cultores mei dispersos meos afferent sacrificium meum; at cultores atque dispersi tam arcte coniuncti sunt, vix ut segregari possint, sed ut, id quod *Hitzigius* docet, dispersi appositionis loco cum cultoribus coniungendi sint. Restat denique ea sententia, quam *Chald.* affert, *de Wettius* probat: cultores meos, dispersos meos offerent sacrificium meum. — Et hac quidem ratione eum confirmavimus versuum 8—10 nexum, quem supra proposuimus; Israelitas enim admoneri, ut deo confidant, quoniam puniturus sit gentes, punitae convertendae, conversae Israelitas dispersos reducturae sint.

v. 11. *Die illo non pudebit te omnium facinorum tuorum, quibus praevaricata es contra me, nam tum removebo e medio tui exsultantes fastuosus tuos, nec deinceps amplius efferes te in monte meo sancto.* Aetas Israelitis felicissima parata est; sequitur iam novi status descriptio, inde incipiens, quod sordes olim eos contaminantes remotae sunt. Novam sermonis partem indicant verba ביום ההוא, quae etiam in primo capite novum sermonis initium declarabant; quae ad v. 8 diem, quo surgat deus ad praedam, redire cogunt. Vates vero ἐκλογὴν secunda persona allocutus, quae inde ab initio versus 8 dicta sunt, quodammodo interjecta tantum esse ostendit, ut Israelitae, in quo iam versentur rerum discrimine, ad summam hanc felicitatem oculos valeant erigere. לא תבושי. non pudefient, non solum secundum *Rosenmuelleri* et *Maureri* sententiam, quod non faciant tale, quale hactenus fecerunt, ob quod pudere debeant; sed ex nova illa Zione omnia peccata erunt remota, sublati enim sunt peccatores et qui remanent, sunt sancti, cf. Jes. LX, 21: et

populus tuus, omnes erunt iusti. Qui praeclarus temporis futuri status adeo oppositus est praesenti pudoris statui, ut vates addat, unde commutatio illa sit profectura. — כי אז etenim quam diu boni et mali, pii et impii Hierosolymis commixti erant, communis erat omnium pudor, commune dedecus; iam vero palea a tritico separata, electus remanebit dei flos. — עליזי גאותך cf. Jes. XIII, 3 exultantes tuos fastuosos, qui fastu vano superbiunt, principes, sacerdotes, prophetae, supra v. 3 et 4 castigati. — גבהה est forma infinitivi fem. cf. Ex. XXIX, 29. Deut. V, 4 et *Ew.* gramm. min. pag. 220. Est superbire, se efferre cf. Jes. III, 16; nominatur autem praecipue superbia, quem supra ad II, 10 peccatorum cognovimus fontem, quoniam quantum Israelitae superbiae atque arrogantiae indulgeant, cum prophetae docent tum historia. — Montem dei sanctum *Eichhornius* putat terram Israelitarum sanctam esse, utpote quae montuosa facile mons possit nominari! Minus recte etiam *Schmidius* existimat cultum Hierosolymitanum his verbis abrogari, cui sententiae et gentes Hierosolyma confluentes et sedes dei illic continua v. 17 repugnat. Verum qui huc usque fuit populi habitus, prorsus non convenit sancto dei monti, quippe qui deum sanctum in populo sancto habitare fuerit indicaturus; tum vero quando Jes. XI, 9: non male facient neque perdite agent in monte meo sancto, quae quondam fuit oppositio erit remota atque mons sanctus in populo sancto.

v. 12. *Et reliquum faciam in medio tui populum afflictum et egenum, et fiduciam reponent in nomine Jehovae.* Condicio autem reliquiarum est duplex, altera ex parte afflicta, altera magnifica. — עני neque hoc loco (*Coelln.*, *Rosenm.*, *Gramb.*, *Ew.*), neque Sach. IX, 9 est mansuetus atque demissus, quod vidimus ad II, 3 forma ענו exprimi, sed semper significat afflictum. Nostro loco

afflictionis notio apparet etiam ex addito דל, quod cum *Grambergio* de animo demisso explicari nequit; at veluti ad II, 3 vidimus mansuetos afflictam sortiri condicionem, ita afflicti hi sunt ii, qui miseriam non modo patiuntur impiorum instar, verum etiam causam omnis miseriae in peccato sitam esse intelligentes, ipsi poenitentiam agentes miseriarum fructus percipiunt. — חסו בשם fiduciam reponent, acquiescent in nomine Jehovae; is enim summus est miseriae fructus, ut rerum humanarum vilitate cognita deo nitatur piorum spes. — Sententiam versus *Maurer* ita intelligit, ut deletis nobilioribus, insolenter agentibus, tenuioris sortis homines submisse se gerentes soli dicantur digni qui sint superstites; civitatem enim novam constare ex civibus miseris atque afflictis, vatem dicere nec potuisse nec voluisse. At primum quidem *Maureri* sententia articulo adjecto indicanda erat necessario, id quod ea quam affert omissio eius frequens in nexu sententiarum ex articulo ipso pendente refutare non potest. Deinde ipsa vaticiniorum indoles *Maurero* renititur. Etenim haud frustra in capite secundo reliquiae dicuntur in Askalonis domibus vastatis recubare, haud frustra Ammonitarum et Moabitarum terras desertas praedantur; consentiunt enim vates in describenda reliquiarum sorte tenui, quam praeclare depingit Paulus II Cor. VI, 10: ὡς μηδὲν ἔχοντες καὶ πάντα κατέχοντες, cf. Jes. XLIX, 19. 20. Aegre ipsi effugerant exitium, cuius terrores eos adeo affecerant, ut quod vates pronunciavit אולי quam esset verum facile intelligerent; et afflictis demum, iis qui semetipsos nihili amplius faciunt mundumque cum omnibus, quae praebere potest, glumam esse experti sunt, quae vento aufertur, iis Jehova relinquitur refugium solum; sed quaecunque amiserunt, egregie compensat et retribuit, adeo quidem ut sequatur aetas illa felicissima, v. 14—20 descripta, quam *Maurer* haud me-

rito condicioni huic afflictae repugnare putat. Et si quis dubitet de explicationis nostrae firmitate, veritatis testem producimus universam historiam ἐκλογῆς, quae inde a primis illis post captivitatem Babylonicam reliquiis, apostolorum tempore, immo ecclesiae statu militante vatis effatum nunquam non ratum fuisse probat. Quamvis igitur sit Luc. XII, 32 μίκρον ποίμνιον, tamen confidunt Jehovae, ὃς εὐδόκησεν δοῦναι αὐτοῖς τὴν βασίλειαν.

v. 13. *Reliquiae Israelis non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, nec reperietur in ore eorum lingua fraudis; etenim ipsi pascentur et recubabunt neque erit qui terreat.* Descripta reliquiarum erga deum pietate iam respicitur altera legis tabula et sequitur fructus fidei, quem faciant, sanctitas vitae in factis et verbis, atque finem imponit causa certissima, qua populum sanctum esse demonstratur. — Quod summum hominibus exemplum iustitiae erat propositum v. 5, hoc reliquiae illae superstites assecutae sunt; quod idem I Joh. III, 9 πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ. — Verum etiam verbis pios se demonstrant, quum qui cum deo vere sit coniunctus, ab omni fraude atque mendacio abstineat necesse sit. cf. Jes. LIII, 9, ubi servus Jehovae reliquiarum spes atque fiducia ratione simili vatis oculo obversatur, et I Petr. II, 23. Apoc. XIV, 5. — Difficilior est explicatio vocis כִּי, quam *Grotius*, *Herwigius* interpretantur ideo, propterea, *Hitzigius*, *Maurer*, *Ewaldus* sed. Meliorem atque aptiorem interpretationem indicat *Calv.*: „Sumptum autem hoc est ex lege, quia inter alias benedictiones haec ponitur, quod deus securam vitam praestabit populo.“ Verba enim nostra leguntur Lev. XXVI, 6 in benedictionum ordine iam supra collato, unde in locos omnes parallelos transierunt. At vero ubi benedictio impleta est, ibi siquidem deus iustus est, condicio praecesserit oportet, quare sicut antea mi-

serrimus populi Israelitici status gravissima fuit peccatorum accusatio, ita summa felicitas certissimus est testis, probans sanctitatem vitae, statum ἐκλογῆς, peccata remota. Descriptionem hanc felicitatis etiam II, 7 obviam cf. Mich. VII, 14. Ps. XXIII, 1. — Terrentem, qui non amplius vexet populum, *Maurer* intelligit principes atque iudices iniquos, prophetas fraudulentos et sacerdotes perfidos, supra nominatos; ii vero minus vituperati sunt, quoniam plebem vexarant, quam quoniam a deo defecerant, deinde omnes quos vaticinia nostra minata sunt terrores non a principibus, sed ab hostibus externis populo afferendi erant. Quare si terrentis notio definienda esset, magis oppressoribus externis quam internis conveniret, praecipue quum non plebem, populi partem, sed populum totum compellatum esse demonstraverimus. At ibi quoque indefinita non definimus; felicissimae temporis Messianici aetati omnis omnino terror repulsus est; cives enim omnes sunt pii, sinceri regni divini cives; qui quondam hostes fuerant, iidem in dei reliquias beneficia conferre summo studio certant.

v. 14—20.

Quae salus tanta est, ut vates praesentem eam cernens, Zioni carmine iubilante gratuletur. *Hitzigius* opinatur, postremam hanc vaticinii partem multo post praecedentem editam esse. At *Maurer* iam bene demonstravit, argumenta eius magis videri ad firmandam eius de Scythis sententiam inventa esse, quam ex sententiarum nexu ultro se obtulisse. Quid enim aptius salutis descriptionem, quam a deo revelatam esse vates re vera credidit, quid eam aptius sequatur, quam Zionis beatissimae ad gratiarum actionem provocatio! Deinde quod hostem non amplius propinquum minetur, sed revertentem eum describat, vatis verbis inesse nequit, quum praeteritis v. 15

profecto non id, quod fieri inceperit, sed quod factum sit indicetur; quod quantopere oculo vatis non externo conspiciatur, sed interno, demonstrat additum ביום ההוא, haud aliter ac in primo atque tertio hoc capite semper dictum de tempore visitationis divinae futuro, nunquam de praesente. At vero si *Hitzigii* sententia valeret, atque supplicium divinum I—III, 13 praedictum non evenisset, quid sibi vellent captivi v. 18—20 reducendi, qui non forent deducti! Universae autem non modo Zephaniae sed prophetarum indoli repugnat, quod v. 14—17 putat vatem ab omni gloriae suae augendae studio remotum, minas suas praedicare eventu non comprobatas; Zephania enim ita cohortatur, ut appareat et quantopere supplicio populi doleat et quam necessario poena irruat non retinenda.

Sequitur igitur spectaculum salutis propositum adhortatio ad laudes deo tribuendas; ita quidem ut primum vates novum reipublicae statum gratuletur v. 14—17, deinde id quod ex ratione inter deum et populum intercedente, quantumvis fata reniti videantur, derivandum sit, paucis complexus populo inculcet v. 18—20.

v. 14—17.

Jubilet Zion v. 14, nam triplex est causa laetitiae, supplicia omnia sunt praeterita v. 15, status urbis iam est maxime securus v. 16, eritque in dies praeclarior, dei amore nisus v. 17.

v. 14. *Jubila filia Zion, vociferamini Israel; laetare et exsulta toto corde, filia Hierosolyma! Marckius* aliique putant post nominatas v. 9 et 10 gentes, v. 11—13 Judaeos, iam omnium credentium et Judaeorum et gentium multitudinem afferri, quippe quae ad ecclesiam nomine Zionis indicatam pertineat atque verum Israel ex Jacobo spiritualiter natum constituat. Quae relatio ad novi testamenti ecclesiam, quae quomodo nomine Zionis

comprehendatur infra explicabimus, tamen huic sententiarum nexui est aliena, qui Zionem illam ipsam est cohortaturus, quam vates praesentem alloquitur. — בת ציון cf. ad v. 11; voces has proprie appositionis loco coniunctas esse, demonstrat הבת ציון Thren. II, 13. — *Calv.*: „Confirmat superiorem doctrinam exhortans fideles ad gaudium, quasi iam prae oculis exstaret, quod antea pollicitus est, provocatque ad testandam gratitudinem, ac si iam gratia dei illis esset in manibus, et fruerentur bonis, quae tamen procul adhuc sunt remota et videntur etiam esse abscondita ab eorum sensu. Verborum autem congerie voluit animos afflictos armare, ut possent alacrius luctari cum tot et tam duris et arduis tentationibus, ut in ipso exilio et extrema desperatione nihilo minus se accingerent ad gratias deo agendas." Et qui didicit, dei vaticiniis fidem habens, propter salutem futuram deo gratias agere, is etiam quae temporis praesentis dona gratiam merentur, oculis apertis intuetur.

v. 15. *Removit Jehova iudicia tua, avertit hostem tuum; rex Israelis, Jehova est in medio tui, non videbis amplius malum.* Causa triumphi prima est restitutio eius condicionis, quae populo dei convenit; poenae sunt remissae hostesque repulsi, deinde deus praesens, protector nunquam deficiens. — משפט iudicium, sententia judicis, unde ex sententiarum nexu decretum poenae Jer. I, 16 atque poena ipsa Deut. XXI, 22. Jer. V, 8; poena enim est iudicium, quatenus in certo quodam peccatore manifestum apparet. Sunt igitur neque consuetudines populi pravae neque iura quibus urbs opprimebatur a tyrannis. — פנה piel dicitur Gen. XXIV, 31. Lev. XIV, 36 de domo everrenda, Jes. XL, 3. LVII, 14 de via domino appropinquanti paranda; significatur igitur dei omnipotentia, omnes populi hostes facili negotio e medio removens. — איבך collective omnes adversarios complectitur; quare si

veterum permulti diaboli iudicium his verbis indicari putarunt, id veri explicationi illi inest, quod in ultimo vaticinii eventu si omnes victi erunt hostes, is quoque quem omnium hostium auctorem atque complexum statuit ecclesia, non amplius erit timendus. — Hostem hunc, quem *Hitzigius* certum explicat, scilicet Scythas, apparet non modo non abeuntem conspici sed eo quo vates loquitur tempore ne adesse quidem, quoniam temporis futuri fata oculo prophetico praecipiat. — Remotis hostibus, qui cum iudiciis intimo nexu cohaerent, quum vocati a deo populum eius poena affecerint, deum Israelis sedem sibi propriam occupatam tenere apparet. — יהוה non est praedicatum, sed appositio regis antecedentis; Jehova enim nihil est quam rex Israelis, quem etiam summa populi peccata regno suo non privant; at ubi sedes ei digna non est parata, recipit gratiae suae dona atque videtur ipse abesse; et ubi deus non est, ibi sunt hostes atque calamitates. Jam vero rediit deus, habitat in medio populo suo suaque virtute eum protegens experimento monstrat se esse civitatis praesidem. Quare Israelitae non amplius תראה videbunt, vel experientur cf. Jer. V, 12 malum. *Hieron. Chald.* aliique legunt תיראי non timebis amplius, quod tamen exemplaribus non comprobatur. Videtur autem allusio esse ad vocem hanc in versu sequente obviam satis commoda, cum in dei virtute causa sita sit, cur Zion non timêat amplius. Ita versus noster primam gaudii causam afferens, dei facinora continet, quibus novus Zionis habitus paratus est, quorum descriptionem praeclaram cantat Ps. XLVI.

v. 16. *Die illo dicetur Hierosolymis: ne timeas! Zion ne remissae sint manus tuae!* Dei facinora splendida populi statum adduxerunt, qui adeo est felix, ut non modo ipse laetus eo fruatur, sed omnibus quoque appareat invidendus, atque ex populi cordibus omnis metus tolla-

tur. — ויאמר *Calv.* „verba haec non minus commode exprimi possunt de communi omnium fama vel acclamatione, quam de prophetica doctrina, ut hoc dicere nihil aliud sit quam communis omnium gratulatio, quam certatim omnes afferent.“ Pondus verborum multo est gravius, si vates non solum vaticinatur, sed etiam vaticiniorum eventum indicat; acclamatio enim illa sequitur ex agnito dei inter Israelitas domicilio, eandemque sensus emphasin continet, quam supra notioni nominis inesse vidimus. — לירושלים ita explicat *Ewaldus*, ut novum iam nomen habeant, sicut Jes. LXII, 2—4 „et videbunt gentes iustitiam tuam et omnes reges gloriam tuam, et vocabitur tibi nomen novum, quod os Jehovae enunciabit. Non dicetur tibi amplius: relicta, neque terrae tuae dicetur amplius: vastata, nam tu nominaberis: deliciae meae in ea, et terra tua maritata.“ Cui explicationi vel, id quod *Hitzigius* obiicit, persona nominis secunda repugnat, deinde vero nomen novum accuratius indicandum erat, sicut Jesaiae probat exemplum. Est igitur acclamatio ad novam Zionem. Nihilo tamen secius Jesaiae verba putamus respici; eadem est enim tam nomini dando, quam acclamationi pronunciandae causa, felicitatem praesentem confitens. — ציון est vocativus, cui ל non est subaudiendum; continuat enim vates quam proposuit personam secundam. — ירפו genus masc. cum יד, quod semper generis femin. legimus, inde intelligitur, quod verbum praecedit et subiecti in universum demum cogitati certa definitio vatis animo nondum obversabatur. cf. *Ewaldi* gramm. maj. pag. 639. — ידיך Jesaias XIII, 7 diem Jehovae annuncians dicit omnes manus remissum iri; iam die Jehovae praeterito omnique iudicio sublato, Zephania Zioni acclamare potest, ne remissae sint amplius manus tuae. cf. II Sam. IV, 1. *Calv.* „Manus remissae ostendunt metu ita concidere omnem vigorem, ut

nullum membrum fungatur suo officio. Nempe ubi praevaluit metus in cordibus nostris, sumus quasi exanimes, ut ne digitum quidem possimus attollere ad aliquid agendum. Ubi autem spes nos animat, simul vegetamur toto corpore, ut ubique appareat alacritas." Qua quidem in explicatione *Calvinus* videtur duas sententias diversas coniunxisse, mox de corpore toto, mox de manibus cogitans. Indicantur autem manus, quas qui timet vertere non audet, quare quamvis ceterum optime valeat, opus aggredi dubitat et diutius dubitans atque haerens nihil proficit. Manus hae agiles permultos, veluti *Grotium,* commoverunt, ut de urbis templique post reditum ex captivitate Babylonica restitutione cogitarent, verum quod supra his explicationibus in universum opposuimus, ibi quoque valet; aptissimum autem hoc afferunt exemplum, quum Haggaei vaticinia demonstrent, quantum valuerit spes atque fiducia in iis, qui animum iam prorsus desponderint, templique aedificatione destiterint.

v. 17. *Jehova, deus tuus, erit in medio tui heros, qui servabit; gaudebit de te cum laetitia, silebit in amore suo, exultabit de te cum iubilo.* Deus hostibus remotis non modo paravit populo suo salutem illam, verum etiam ipse eum amat diligitque. — גבור est praedicatum, quod verbis versus 15 additur, illic Jehova dicebatur Hierosolymis sedem habere, iam Jehova illic throno insidens nomine eo appellatur, quo se dignum praestitit iis quae v. 15 recenset operibus. — יוֹשִׁיעַ non est verbum totius enunciationis, ut cum Jehova coniungendum sit, sed secundum Jer. XIV, 9: „cur es sicut heros, qui non potest servare" est appositio herois, ita ut relativum subaudiatur. Omnipotens hic deus, qui quoniam heros est, servare potest, quoniam Jehova in medio populo suo est, servare vult, salutis nunquam defuturae firmissimum est argumentum; adest igitur ea quoque aetas, quam deus

inde a mundo creato propositam habuit, in qua coniugium inter deum atque homines, sponsae adulteriis saepe turbatum, est stabile, castum, certum. Quapropter quae iam sequuntur, non novam salutis certitudini rationem adiungunt, sed significant, quantopere deus consuetudine eius, cum qua ei intercedit necessitudo, delectetur. — יָשִׂישׂ accuratius explicatur ab eo, cuius verba descriptionis nostrae quasi fundamentum crebro cognovimus, Jes. LXII, 5 „ut sponsus gaudet de sponsa sua, ita gaudebit de te deus tuus.“ Sponsus autem gaudet non solum quoniam permanet neque perit vel quoniam felix est sponsa, sed gaudet de ipsa sponsa, quae cara ipsi atque tenerrime dilecta est. — בְּשִׂמְחָה eodem modo cum שִׂישׂ coniunctum cf. Ps. LXVIII, 4. — יַחֲרִישׁ notionem silendi haud idoneam esse rati interpretes permulti, veluti *Antonius*, *Ewaldus*, cum LXX legunt יַחְדִּישׁ, quod tamen solo legendi vitio ortum est. Sensus quoque ex hac scriptura eliciendus vix admittendus est, etenim quam *Antonius* subaudit Zionem restituendam, sine dubio adiicienda erat, et quam *Ewaldus* interpretatur iuvenescendi notionem, ea coniugationi Hiphil satis aliena videtur, ne dicam Jehovam iuvenilem recipere vigorem vel imagini nostrae minus convenire. Retinendam igitur silendi significationem *Burkius* ita explicat, ut deus silere faciat hostem vel adversa quaecunque; verum hiphil vocis חָרַשׁ nunquam legitur notione causali, semper intransitiva tacendi. Hoc autem silentium multifariam explicatum est. Alii enim silentium idem esse putarunt ac quietem, *Calv. Grambergius*, ita ut deus acquiescat quodammodo in amore suo, quod *de Wettius* quoque probare videtur. Deus vero silere dicitur in ratione, quae intercedit inter ipsum populumque suum duplici ratione. Aut preces petentium non audiens silet Ps. XXXIX, 13. CIX, 1, quod descriptioni nostrae non convenit. Aut silet deus peccata

inulta ferens atque condonans Ps. L, 21. Jes. XLII, 14; quam significationem verbis nostris inesse solam recentiores putarunt plerique. Offendit autem mentio peccatorum in reliquiis, quas v. 13 docuit sine peccato iustas esse, et in quibus, quum vates perfectam earum imaginem futuram conspiciat, peccata explicari nequeunt. Uterque igitur usus silentii divini sententiarum nexui non videtur convenire. Jam vero fuerunt, qui recurrerent ad metaphoram a stupore amatoris petitam, puellam intuentis, quo impediretur, quominus loqui posset! Quae sententia quamvis sit indigna atque detestanda, tamen veram significat explicationem. Post gaudium enim in universum nominatum duplex affertur ratio, qua laetitia apparet, altera stuporis conticentis, altera iubili exultantis, et hoc quidem modo vates indicat, gaudium illud re vera esse summum. — באהבתו cf. Jes. LXIII, 9 et Deut. VII, 7. 8. Cuius amoris descriptionem pulcherrimam, ei qui in scripturae sacrae dicendi genere haud rudis est satis perspicuam legimus in Cantico Canticorum. — יגיל summum hoc dei gaudium cf. Jes. LXV, 18. 19. ea omnia, quae Deut. XXX, 9 benedictiones pio dei populo promissae sunt, iam locum habitura esse testatur.

v. 18—20.

Proposuit vates materiam laetitiae, hortatus est electos dei ad sacrificium laudis et ad gratulationem — interea erant miserrimi. Necesse igitur fuit vatem descendere a salutis fastigio, respicere praesentem rerum statum exiliique tempus proxime instans, Jehovae verbum inculcare, qui vaticinia impletum iri ipse promittat. Consolatur igitur maestos, quorum maestitia tolletur v. 18, superatis enim hostibus reducentur v. 19, summaque salute donabuntur v. 20.

v. 18. *Maestos propter dies festos colligam, ex te*

erunt; quae onusta es probro. Versum hunc ex omnibus Zephaniae versibus interpretum dissensione maxime vexatum, ita fere explicavimus, ut *Coellnius* eum proposuit; quae interpretatio quam sit vera, si alias quae videntur memoratu dignae recensuerimus, apparebit. Primum enim LXX primis verbis cum versu antecedente conjunctis multum a sensu deflectens interpretatur: *ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς. Καὶ συνάξω τοὺς συντετριμμένους σου, οὐαί, τίς ἔλαβεν ὀνειδισμὸν ἐπ᾽ αὐτήν*, prorsus aliam scripturam sequens. Neque minus errat *Hieronymus:* „nugas, quae a lege recesserunt, congregabo, quia ex te erant, ut non ultra habeas super iis opprobrium," addens ad nugas „propterea a nobis ita ut in Hebraeo erat positum, ut nosse possimus, linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem!" Quas nugas omittere alii adeo morati sunt, ut, veluti *Drusius,* exemplis ex scriptoribus Romanis petitis, aliam nugarum significationem invenirent, qua sint carmina praeficarum, quae canebantur in mortuorum laudem. Missis autem his nugis singula quaeque verba, quorum unumquodque alii aliter explicarunt, tractanda sunt. — נוגי veterum permulti derivarunt a radice הגה notione removendi; at vero quum omissum ה grammatice iustificari nequeat, recentiores omnes vocem a radice יגה derivandam esse consentiunt. Huic autem duplex constat notio, altera removendi altera lugendi. Illa quidem significatio probatur arabico وجى conjugatione IV et legitur II Sam. XX, 13; sed conjugatio niphal hac notione non usurpatur. Eandem vero formam legimus Thren. I, 4, ubi dolor luctusque aperte indicatur; quae notio legitur etiam Thren. I, 5. III, 32. 33. Jes. LI, 23. Job. XIX, 2, quare dubium amplius esse nequit, quin נוגי sint dolentes, moesti, moerore affecti. — מועד iterum duplici sensu legitur vel temporis constituti atque festi vel conventus. Priorem *P. Ewaldus* ita adhibet, ut ver-

tat: aliquamdiu, id quod tam usui linguae quam grammaticae repugnat; alii ita ut tempus salutis constitutum, ubi finita sit captivitas, intelligant, quae notionis definitio nexu sententiarum videtur non satis confirmata. Restat igitur significatio vel conventus, in mentem revocans tentorium conventus, quod, sicut templum, tentorii amplificatio, conventibus sacris causa fuit atque gloria, quae tamen nulla addita restrictione rarius legitur, vel denique dierum festorum qui pro magno quod iis est in Israelitarum piorum vita momento praecipue videntur convenire. — מן aut sensu loci aut causae interpretantur. *Hitzigius, Maurer* conferunt II Sam. XX, 21. 22 vertuntque remotos a conventu, Judaeos scilicet captivos, qui in exilio retenti festos Jehovae dies Hierosolymis frequentare nequeant, quos iam deus sit collecturus. Sed arctissima cum נוגי coniunctio ellipsi non favet, quae ex contextu debebat dilucidius apparere. Quapropter praeferenda est ea quam *Coellnius, Ewaldus* adhibent notio causae cf. Ex. II, 23 et *Ewaldi* gramm. maj. pag. 601. Moesti igitur sunt propter dies festos. Quae maestitia vel ita cogitari potest, ut doleat eos propter dies festos, quippe quibus non laetentur, sed lucro potius studeant neque deum sincero animo colant, quam sententiam *Antonius* in dissertatione hunc versum explicatura proposuit, cui tamen cum nexus sententiarum repugnat, quum iam de reliquiis sermo sit deum sincere colentibus, atque prophetarum consuetudo, hoc peccandi genus rarissime tantum tangentium; tum locus Jeremiae Thren. I, 4: viae Zionis sunt lugentes sine venientibus ad diem festum, portae eius vastae, sacerdotes eius ingemiscentes, virgines eius moestae, et ipsi acerbum est. Causa igitur maestitiae ea est, quod tempore exilii, quamdiu populus remotus fuit a loco conventus, conventus ipsi erant abrogati caruitque populus diebus festis, qui pio cuivis summae sunt causa laetitiae atque gaudii, pie-

tatem non modo testantes verum etiam incitantes; ea est enim ingenii humani tarditas, ut diebus festis carere non possit. — Status constructus vocis נוּגֵי arctissime eam cum praepositione sequente coniungendam esse indicat cf. Ps. II, 12. LXXXVII, 7 atque plura exempla in *Ewaldi* gramm. maj. pag. 578. — Moestos autem propter dies festos, אָסַפְתִּי, deus colliget, id quod veluti I, 2. 3 de auferendo explicamus; etenim deus eos colligit, ut collectos e medio tollat. — מִמֵּךְ הָיוּ horum verborum sensum *Antonius* videtur recte exposuisse. Primum autem מִמֵּךְ ita intelligunt, ut significet ex te, scilicet ex te nati, cives tui, vel *Burkius*, *Hitzigius*, qui sunt generis tui, cui sententiae tempus ipsum repugnat, quod cum praeteritum praecedens notione futuri intelligatur, idem indicat futurum; vel *Coellnius*, erunt cives tui, quum iam dispersi non sint ex numero eorum, cui explicationi, minus perspicue apparenti ex I Sam. II, 20. Ps. LXXXVII, 5: tunc dicetur Zioni, cuncti ibi nati sunt, favet Jes. LVIII, 12: aedificabunt ex te vastitates aeternas, ex te, id est cives ex te, cives tui. At vero repugnare videtur contextus; alloquitur enim vates Zionem, quam et ipsam v. 19 nominat dispersam, quae eadem restituenda est; quocirca illi Zionis cives non erunt, sed sunt, quod *Hitzigium* et *Maurerum* commovisse videtur, ut tempus vocis הָיוּ de praeterito intellexerint. Melius igitur notionem, quam sequuntur, praepositionis מִן relinquimus, atque adhibemus vim eius propriam retinendi vel removendi, quae praecipue convenit, si praecedit movendi verbum; motus autem inest futuro verbi הָיָה, quoniam id quod erunt Israelitae temporis futuri sorte adducetur. Vertimus igitur, sicut *Antonius*, erunt ex te, id est removebuntur ex te. At quomodo removebuntur moesti illi ex Zione? Aberunt quatenus sunt moesti, omnis enim dolor omnisque maestitia erit sublata neque quisquam invenietur amplius

lugens, quum communis sit omnibus laetitia summa; quam sententiam prophetarum vaticiniis satis accommodatam conferas verbi causa Jes. LX, **20**: nam Jehova erit tibi luci aeternae et finiti erunt dies luctus tui; atque Jes. LXI, **2**: dies ultionis deo nostro ad consolandos lugentes omnes. Collectio igitur membri prioris non reliquias ipsas tangit sed eam facultatem earum, quae est nominata.

Transimus iam ad alterum hemistichium non minoribus obstructum difficultatibus. -- משאת multiplici ratione explicatum est, sed omittendi sunt ii, qui vel textum vel accentus mutarunt, sicut supra memoravimus LXX, et sicut *Herwigius* putat legendum esse מְשְׂאֵת, infinitivum cum מן negationis: ut non proferatur super eam opprobrium. Ipsa autem verba nostra *Antonius* ita interpretatur, ut ex significationibus vocis משאת, quae est elatio, signum quod erigitur, donum, cf. *Ew.* gramm. min. p. **207**, eligat signum vel vexillum, quod legitur Jer. VI, **1** atque vertat: ignominiam quocunque incolae se vertant, instar vexilli praecedere; verum haec significatio haud minus quam muneris a *Ludovico de Dieu* secundum Jer. XL, **5** intellecti inde oritur, quod universalis portationis notio ex nexu quodam sententiarum certam accipiat definitionem atque explicationem. Sed quod additum est עליה nostro loco definitionem affert aliam. Legitur enim Ps. XV, **3** sensu activo: et probrum non infert proximo suo, atque sensu passivo Mich. VI, **16**; et probrum populi mei portetis, unde colligimus probrum cogitari onus, quod calumnia affectos oportet portare, vel active, quod *Gesenius* docet, ut sit ingestio contumeliae dicta pro talibus, in quos contumeliam ingerant, vel ex *Coellnii* sententia passive, portandam esse populo ignominiam, quam cum *Hitzigio* praeferendam esse existimamus similem voci משא significatione oneris usitatae. — עליה *Hitzigius* referendum putat ad notionem גולה, exsulum turbam, cui

favere possit, quod moesti collective secundum *Gesenii* Lehrgeb. pag. 477 suffixo fem. indicentur; at quum inde a versu 14 continuum legamus sermonem, ubi fem. semper ad Zionem referatur, quum vel in versu nostro ipso fem. praecedat Zionem respiciens, fieri non potest, quin ipsam quoque subaudiamus. Mutatio personae, quam vel in Zephaniae vaticiniis aliquoties legimus, cf. II, 12. III, 7 non offendit. — חרפה est non solum probrum servitutis, sed universi potius miseriarum status, dignitati Zionis, sedis Jehovae exercituum non convenientis. Remotis autem moestis illis, restituta pristina urbis gloria, sublatum est probrum, quod eo usque urbi portandum est atque tolerandum.

Quae quum ita sint, sensum indagavimus versus nostri non tam verborum difficultatibus quam interpretum conjecturis insignem. Videmus autem vatem, postquam salutis futurae spectaculum cum auditoribus communicaverat, subito praesentem miseriae statum, proxime miseriorem futurum respicere, atque eos intueri, quibus medium gratiae piis veteris testamenti maximum, festi scilicet Jehovae dies detrectati sunt, quorum querelas atque luctus pius describit simili calamitate affectus Ps. XLII et XLIII, et quos ipsos depingit Ps. CXXXVII, quum sedeant ad flumina Babelis atque lacrimas profundant, quando meminerint Zionis; hos igitur Zephania respiciens ignominiae Zionem affligentis testes, Jehovam eos e medio sublaturum esse vaticinatur, ut moestitia omni in laetitiam conversa non amplius sit moestus in urbe, cuius Jehova flagrat amore.

v. 19. *Ecce ego agam cum omnibus oppressoribus tuis tempore illo, et servabo claudicantem et expulsam congregabo et faciam eos laudem et nomen in omni terra ignominiae ipsorum.* Ne videatur dubia promissio de reductione ad conventus publicos, quum reditus atque libe-

rationis obstacula repugnent haud exigua, pollicetur deus, se fore ecclesiae suae liberatorem, utcunque magna sint objecta impedimenta atque obstacula. — עֹשֶׂה non habet vim praeparandi ad sacrificium, Gen. XVIII, 7. 8, neque comprimendi vel subigendi, quam *Maurerus* sicut in עסס primariam habet, neque etiam hostiliter agendi cum aliquo, id quod *Coellnius* et *Rosenm.* probant, sed *Hitzigius* bene monet, esse notionem generalem agendi cum aliquo cf. I, 18. Ezech. XXIII, 25. Jer. XVIII, 23, quae ex nexu sententiarum definiatur. Eundem sensum vox saepissime praebet cum praepositionibus ל vel ב coniuncta, unde apparet אֵת non esse notam accusativi sed praepositionem: cum; cf. Ezech. VII, 27: secundum vias eorum faciam cum iis; forma enim אוֹתִי idem significat ac אִתִּי, quae in libris his praecipue posterioribus illi locum cessit, cf. *Ewaldi* gramm. min. pag. 294. cf. Jos. XIV, 12: fortasse Jehova erit אוֹתִי mecum et expellam eos sicut locutus est Jehova, et Jer. XX, 11: et Jehova est אוֹתִי mecum sicut heros validus, propterea persecutores mei collabentur. — הִנְנִי quod incredibile est secundum carnis sensum, id Jehovae tam est certum, ut eventum quasi digito monstret. — מְעַנַּיִךְ cf. Jes. LX, 14: et venient incurvantes se filii oppressorum tuorum et prosternent se ad plantam pedum tuorum omnes contemnentes te. Id quod v. 15 voce hostis collective indicatum erat, iam, ubi non iubilat vates, sed demissos atque oppressos consolatur, accuratius explicat addito בָּעֵת הַהִיא *Calv.*: „nempe exspectandum esse quoad placuerit deo exercere populum suum sub cruce. Etenim quum homines naturaliter appetant quietem et immunitatem ab omni malo, corrigit nimiam illam celeritatem, quae solet homines abripere, ubi deus ipsos castigat.“ — At vero deus impedimenta salutis non solum removet, sed reliquias suas ipse reducit atque salutem iis praebet. Restitutionis mem-

brum utrumque vaticiniis prioribus nititur, alterum Michae, alterum Deuteronomii. Etenim Michas vaticinatur IV, 6: die illo colligam claudicantem et expulsam congregabo; et reddam claudicantem reliquias et dispulsam populum validum. — הצלעה, *Hitzigius* recte dicit participia haec non varias afferre populi partes, quarum alteram deus sit servaturus, alteram congregaturus, id quod inest loco ei, qui imaginem nostram fusius persequitur, Ezech. XXXIV, 16: perditam quaeram et expulsam reducam et contritam alligabo et aegrotantem confirmabo. Etenim non qui Hierosolymis remanserint, eos vates claudicantes atque eos, qui in captivitatem abducti sint, dispulsos nominat, sed Zionem ipsam, quam inde a v. 14 semper vidimus subjectum esse, in statu miseriarum ex parte praesente etiam gravius imminente claudicantem nominat atque expulsam. Quae claudicatio non cum *Coccejo* cogitanda est ea, quam supra commemoravimus ab Elia vituperatam I Reg. XVIII, 22, sed quae ex summis calamitatibus profecta, quum qui versetur in angustiis perinde sit ac claudus Ps. XXXV, 15, populum depingit infirmum atque dolentem. — Relatio autem ad Michae verba ostendit eandem tangi descriptionem, quam Zephaniae haud minus atque aliis vatibus praecipue in deliciis esse vidimus, qua populus est grex Jehovae, atque Jehova bonus gregis sui pastor. — At hostibus superatis, populo reducto, non pristinus tantum restituetur status, sed iam appropinquat tempus, quo felicissimum Messiae aevum diu exspectatum aderit, quo quod deus exoptaverat foedus sincere factum est. Significat igitur Zephania foederis sanctionem Deut. XXVI, 18—19: Jehovam hodie dicere fecisti, se futurum tibi deum, et Jehova dicere fecit te hodie, te futurum ipsi populum peculii, ut faciat te elatum super omnes gentes, quas fecit, laudem et nomen et splendorem. Jam igitur cum populus re vera sit Je-

hovae populus pactoque stet, deus quoque dona praebet, quae gratia eius libera paravit. — בכל הארץ בשתם. Constructio grammatica ob praemissum voci ארץ articulum multos adeo turbavit, ut *Ludov. de Dieu* relativum subaudiat et vertat: quorum ignominia iam est in tota terra; verum et locus Deuteronomii relationem ad omnes omnino gentes exhibens aliam commendat interpretationem, et Jer. XXXIII, 9, epexegesin quandam afferens: et erit mihi in nomen hilaritatis et laudem et splendorem apud omnes gentes terrae, quae audient omne bonum, quod faciam cum iis, et trepidabunt et contremiscent propter omne bonum et propter omnem pacem, quam facio iis. Praeferenda est igitur ea explicatio, quae facit Israelitas laudem reddi in omni terra ignominiae ipsorum. Constructio enim illa ita intelligitur, ut ex terra definita vocem ארץ subaudiamus, in omni terra, scilicet terra ignominiae ipsorum, quod idem supra animadvertimus in יהוה צבאות multisque probat exemplis *Ewaldus* gramm. maj. pag. 581. Ignominia igitur adeo erit sublata, ut quocunque vel captivi venerint ludibrio habiti vel fama calamitatis penetraverit, ibi Israelitae laudibus celebrentur.

v. 20. *Tempore illo adducam vos eoque tempore congregabo vos; nam faciam vos nomen et laudem in omnibus populis terrae, quando redibo ad captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Jehova.* Quae quidem salus tanta est, ut vates verbis suis finem imponere non possit, nisi iisdem repetitis, auditoribus ipsis compellatis. — בעת ההיא respicit atque repetit eam aetatem, cuius dona v. 19 pronunciaverat. — אביא vix videtur esse, quod explicat *Ewaldus*, facere, ut habeat quis introitum, domum sibi propriam; sed in universum adducam vos, et ita quidem, ut propter congregationem sequentem terminus respiciatur, ad quem non ex quo veniant. cf. Jes. XIV, 2. XLIII, 5. — בעת articulus locum demonstrativi praece-

dentis tenet, eo tempore. — קבצי אתכם erit congregare meum vos, quam constructionem *Hitzigius* bene dicit inde ortam esse, quod vates formam quaesivit praecedenti אביא similem, ut formae similitudine verborum pondus augeretur. — כי notio causalis haud est negligenda, quum populus adducatur atque congregetur eam ob causam, ut deus id quod vult atque intendit populo restituto consequatur. — בכל עמי הארץ, quae gloria v. 19 certis quibusdam populis manifesta apparuit, eadem nunc omnibus terrarum orbis populis est conspicua, quemadmodum id deus futurum esse promiserat Deut. XXVIII, 10. — At vero ne Israelitae obliviscantur, qui sit salutis fons, Jehovae reditus ad captivitatem eorum commemoratur firmissimum spei fundamentum. שְׁבוּתֵיכֶם hoc loco solo legitur cum suffixo pluralis, quum praeterea semper inveniantur suffixa singularis; veteres igitur putarunt esse numerum pluralem formatum a voce שְׁבוּת, cuius tamen exempla non afferuntur; quapropter secundum *Ewaldi* gramm. min. pag. 270 statuimus esse sing. cum suff. pluralis, quoniam forma וּת — et quoad sonum et quoad notionem simillima est plurali fem. וֹת. — Quo minus praesens rerum status vatis promissioni favet, eo maiore studio eam inculcat, לעיניכם, Deut. I, 30. XXIX, 1, atque respicit verba Jesaiae LII, 8: nam oculo ad oculum videbunt quando redibit Jehova Zionem; quod indicat dei reditum apertissimum atque consuetudinem cum populo intimam cf. Luc. II, 30. Postremo certissimo vaticinia sigillo obsignat, אמר יהוה. Jehova enim, quem vaticiniorum fontem vidimus I, 1, idem is est ex quo eventus quasi profluit.

Haec autem salus summa quando evenit aut quo tempore eveniet? Ubi pax illa nunquam turbata, ubi sanctitas piorum perfecta? Impleta haec sunt in reliquiis illis, quae annis septuaginta praeteritis quum Chaldaeorum regnum

in Medos atque Persas transiisset, cum laude et gloria dimissae, Babylone reductae in templo secundo sacra faciebant; impleta sunt in electis, quos Christus ex Judaeis gentibusque dei templa fecit, *Theodoretus: ταῦτα δὲ καὶ τοῖς ἐκ Βαβυλῶνος ἐπανελθοῦσιν ἐδωρήσατο καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις μετὰ ταῦτα κεχάρισται* — at Judaeorum clades atque contumacia, Christianorum tentationes atque peccata eventum indicant nondum adesse sed tempori futuro repositum. Et profecto quae regni divini imago perfecta vatum oculis obversabatur, ea solatio atque viatico data est Judaeis in captivitatis Babylonicae acerbitate, Christianis in miserae huius vitae calamitate; quae imago felicibus regni divini vel in hoc saeculo aetatibus tanquam typo expressa, omni *σκιᾳ* atque omnibus tenebris remotis, omnibus numeris absoluta non modo coram oculis nostris apparebit sed nos ipsos divino coelestique splendore ornatos monstrabit *ἐν τῇ πόλει τῇ ἁγίᾳ, Ἱερουσαλὴμ καινῇ*, de qua testatur Apocal. XXI, 3: *ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν καὶ αὐτοὶ λαὸς αὐτοῦ ἔσονται.*

Quae quum ita sint, vaticinium nostrum Zephaniae alterum videmus promissiones laetissimas pronuntiare, quae in dies apertius eveniunt atque ultimo vitae futurae termino prorsus impletae erunt, perinde ac vaticinium prius dei iustitiam proposuit tam in primis historiae initiis quam in fine historiae conspicuam. Zephaniae igitur effata totum regni divini cursum paucis complectuntur atque prophetiae universae praeclarum praebent conspectum.

Typis Fratrum Unger.

002843

Strauss - Vaticinia
Zephaniae -
Bible - Latin